ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCXCII. ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

M. AUGUSTUS WEICHERT,

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS, ORDIN. SAXON. VIRT. CIV. EQUES.

Inest

M. *NICOL. MATTHIAE PETERSEN, Coll. VII., Cosmogoniarum quarumdam antiquissimarum comparatio.*

TYPIS OFFICINAE GRIMENSIS

1842.

Cosmogoniarum quarumdam antiquissimarum comparatio.

Praefatio.

Ex omnibus antiquarum religionum dogmatis et veterum philosophorum placitis ea me semper mirifice allexerunt allectumque tenuerunt, quae de rerum initiis et tanquam seminibus antiquitus tradita et vulgo credita ad nostram aetatem litterarum monumentis propagata sunt. Quamobrem quum materiam scribendi circumspicerem, quae libello scholastico accommodata esset, cosmogoniae illae antiquae occurrebant, de quibus disputarem, quamvis non ignorarem in iis explicandis et illustrandis multum studii operaeque a compluribus viris doctis esse positum. Videbar enim mihi viam invenisse, quam ingressus nonnihil certo ad cosmogonias illas explicandas conferre possem, a nullo, quod sciam, adhuc tentatam. Etenim quum in his cosmogoniis a diversis auctoribus editis haud raro non tantum prorsus easdem sententias, sed etiam eadem verba deprehendamus, sperabam fore, ut comparatione earum instituenda et ad illustrandos nonnullos earum locos, qui obscuritate quadam laborant, et ad investigandam et definiendam earum originem et aetatem aliquid conferrem. Qua in re id inprimis agendum erat, ut quae antiquissimae esse existimantur cosmogoniae, eas primas inspicerem et examinarem. Itaque quum Indorum scripta sacra ceterorum populorum omnium monumenta litteris consignata aetate antecedere vulgo credantur, maxime consului libros, qui ex his Indorum scriptis cosmogonias e Sanscritico sermone translatas continent. Tres potissimum libri sunt, e quibus Indorum de mundi origine philosophemata et fabulas hausi:

Asiatic Researches T. V, VII et VIII, ubi Colebrookius e Vedis excerpta in Anglicum sermonem conversa edidit.

Researches into the Nature and Affinity of Ancient and Hindu Mythology, in quo libro Kennedy e Puranis nonnullos locos transtulit.

Lois de Manou comprenant les Institutions religieuses et civiles des Indiens traduites par A. L. Deslongchamps, cuius libri primum caput de rerum primordiis agit.

Praeter haec excerpta e Vedis nihil adhuc in publicum editum nec quisquam inventus est, qui integris his libris edendis operam et sumtum impenderet; quod non mirandum est, quum Colebrookius iudicaverit, vix operae pretium esse, amplos Vedarum libros perlegere, nedum in aliam linguam translatos edere, qui solis orientalium religionum curiosis aliqua ex parte usui esse possint (vid. *Asiat. Res.* T. VIII. p. 495.).

Omnia scripta Indorum sacra de mundi et deorum origine narrationum plena esse dicuntur, ita ut huius populi sacerdotibus et philosophis iam ab antiquissimis temporibus id proprium fuisse videatur, ut a vulgi consortio segregati, solitudine quaesita, in alta rerum coelestium contemplatione defixi de divinis rebus meditarentur. Quibus meditationibus quum iam tunc altius inquirentes de ratione, qua rerum principia a divino numine originem cepissent, philosopharentur, factum est, ut in diversa abeuntia et monotheismi et polytheismi et pantheismi systemata prodirent. Nam haec iam in Indicis cosmogoniis deprehenduntur, neque tamen accurate distincta, sed promiscua, quemadmodum multa alia discrepantia ac dissona occurrunt, ita ut perdifficile sit omnia ac singula ad certa quaedam genera revocare. Ad quod agendum antequam me accingerem, circumspexi, num quid certi de aetate illorum scriptorum Indicorum virorum doctorum sagacitate et industria esset constitutum. Atque omnes Indicarum litterarum peritos in eo consentire intellexi, Vedas omnium librorum Sanscriticorum vetustissimos eosque perantiquos esse; semper enim Indos ipsos summo consensu omnia sacra ad eas ut solum et sacrosanctum religionis fontem referre, et de iis non sacros solum, sed etiam profanos libros, et tales quidem, de quorum antiquitate minime dubitari possit, passim mentionem iniicere. Puranas inferioris aetatis esse, iam ex eo patere docent, quod Vedas religionis biblia sacra nominent easque inter principia rerum numerent, quae Brahma creaverit; temporis vero, quo Vedae et cetera sacra scripta orta sint, in ipsis antiquis Indorum scriptis ulla indicia et vestigia reperiri negant.

Deinde cum Indorum cosmogoniis ea, quae de mundi origine ex Aegyptiorum mythologia et ex Orphei reliquiis a veteribus scriptoribus relata sunt, contuli, ex iisque locos exscripsi cum Indicis ad verbum concinentes.

Quod Persarum cosmogoniam attinet, totus ille liber, qui Bun-Dehesch inscriptus est, de rerum primordiis agit. Sed antiqua huius libri origo suspecta est, quum complura contineat, quae recentius aevum redoleant. Et computatio annorum, per quos Ascanidae et Sassanidae imperium obtinuerint, in fine addita hunc librum supra septimum p. Chr. n. saeculum reponi vetat. Neque illud ad antiquam libri originem demonstrandam quidquam facit, quod illius cosmogoniae dogmata maximam partem in ipsa Zend-Avesta leguntur; nam huius etiam praedicata antiquitas iure meritoque in dubitationem vocatur. Primum enim ipsum nomen, Zend-Avesta, Graeci, qui de Persarum religione et religionis auctore multa disputant, ignorare videntur, eiusque demum apud Muhamedanos decimi et undecimi

saeculi scriptores prima mentio facta est. Deinde totius libri facies ita comparata est, ut certe Persas mendacii convincat, qui eius auctorem Zoroastrem ipsum faciunt; liber enim nihil fere continet, nisi precandi formulas et praecepta sacrorum rite obeundorum, inter quae ad doctrinam de rebus divinis constituendam pauca et tenuia religionis dogmata interposita sunt, ita ut indigesta libri moles temporis progressu paullatim conglutinata et chartis mandata videatur et collectorem potius et editorem singula praecepta, quae antea ore propagabantur, litteris consignantem, quam auctorem et praeceptorem religionis prodat. Quid? quod loci in hoc libro inveniuntur, ubi Zoroaster tanquam coeleste numen precibus invocatur. Huc accedit, quod *Anquetil du Perron*, qui primus et solus adhuc Zend-Avestam interpretatus est, multae quidem industriae et eruditionis, sed incertae et sublestae fidei auctor repertus, antiquis Persarum linguis parum imbutus scriptorum sententiam coniectando potius persecutus, quam interpretando assecutus esse dicitur. Quidquid autem huius rei est, illud certissimum videtur esse, dogmata nonnulla, quae libris illis continentur, omnes antiquissimi temporis notas ferre; inter quae non dubito referre, quae de mundi origine ibi traduntur, quam in sententiam inprimis comparatione aliarum cosmogoniarum deductus sum.

Praeterea etiam Phoenicum et Chaldaeorum cosmogonias, quae in Sanchuniathonis et Berosi historiarum fragmentis nobis servatae sunt, in comparationem vocavi, quamvis non ignorarem, fuisse, qui scriptis illis omnem fidem derogarent. Quod num iure factum sit, necne, et longum est hic exponere, neque necessarium, quum satis copiose de hac quaestione disputatum sit ab *Ioh. Conr. Orellio*, qui Sanchuniathonis (Lipsiae 1826.) et ab *I. Dan. Richtero*, qui Berosi fragmenta (Lipsiae 1825.) ediderunt. Nec silentio praetermittere potui cosmogoniam, quae Pentateucho continetur et ad Mosen auctorem refertur, quamvis ea nihil commune habeat cum ulla alia cosmogonia, si discesseris a creatione hominis, qui e terrae gleba fictus esse ibi narratur.

Graecorum cosmogonias eas tantum respexi, quae vulgo creditae et ab Hesiodo et ab Aristophane servatae sunt, non curans, quae philosophi illius populi ad mundi originem investigandam excogitarunt et auditoribus tradiderunt.

Denique placuit etiam Eddae carmina, borealis mythologiae fontem, hic respicere, qui liber quamvis compositus sit in regionibus ab oriente remotissimis et diversissima ab illis scriptis indole sit, tamen mythico velamine detracto dogmata continet, quae ab orientalibus non magnopere dissentiant. Unde facile assentior popularibus meis, qui maiores nostros ex oriente olim penates suos in Scandinaviam importasse dicunt. Vide *Bastholms Undersögelser over de äldste Folkeslägters religiöse Meninger* p. 545. — *Schönings Afhandling om de nordiske Folkes Oprindelse* cap. 3. §. 20. — *Finn Magnusens Udsigt over den kaukasiske Menneskestammes äldste Hjemsted og Udvandringer* p. 19.

Cap. I.

De creatoribus.

§. I.

Iam primum ad Indicas cosmogonias excutiendas me convertens ante omnia id commemorandum duco, eas in eo omnes consentire, quod ab uno eoque summo numine primam mundi originem repetunt; quale vero et quod hoc numen fuerit, et qua ratione mundum creaverit, quum describunt, inter se saepe discrepant. Nimirum quum theologi Indici qua ratione deus rerum principia produxerit, explicare aggrederentur, in tres potissimum sententias diversas discesserunt. Alii enim summam rerum causam in ipsa materia latuisse contendebant, et deum extra rerum universitatem versantem et spiritualem dimittentes materiae divinitatem adscribebant. Alii contra spiritum divinum seiungebant quidem a materia, sed deum solum revera exstare docebant, cetera omnia, quae extra deum exstare crederentur, ea speciem tantum existentiae habere, revera non exstare statuebant. Alii denique fingebant, deum primigenum, materiae omnino expertem, e sua ipsius substantia aliud numen productum corporis forma induisse, ut id mundum conderet. Videmus, iam apud Indos antiquos fuisse philosophiae devia itinera, quibus et nostri aevi philosophi haud pauci incedunt, et scopuli, ubi philosophia de summa rerum causa disserens tam saepe naufragia fecit, non incogniti sunt. In Indicis igitur cosmogoniis summus deus et primus rerum motor ita legitur descriptus, ut alias prima naturae elementa in sinu suo fovisse, alias ipse cum spiritu suo divino materiae vinculis inclusus, alias omnia complexus esse dicatur et cum ipsa rerum universitate commutari videatur. Quod ne temere statuere videar, necessarium duco nonnullos locos e cosmogoniis illis huc afferre, quas a Colebrookio in *Asiatic Researches* T. V, VII, VIII. e Vedis et a Kennedyo in libro, qui inscribitur: *Researches into the Nature and Affinity of Ancient and Hindu Mythology* e Puranis evulgatas supra dixi, et ita quidem afferre eos placet, ut quae ibi in Anglicum sermonem conversa leguntur, Latine reddam. Et primum quidem pantheismi vestigia habes in his: „Haec rerum universitas sola in mente divina residebat, sed non explicata et tenebris quasi obruta, ita ut nec oculis conspici, nec ratione percipi et divinari, nec ulla sagacitate detegi posset et quasi

arcto somno sopita iaceret. Tum cum integro splendore suo illa sola ac per se exsistens Potentia divina apparuit et, etsi sui ipsius ignara erat, tamen hunc mundum cum quinque illis et ceteris naturae elementis revelavit et explicita mentis vi tenebras dissipavit.“ cf. *Asiat. Res.* T. V. p. 5.

Quomodo vero sibi cogitaverint in mente divina materiam rerum universitatis contentam ipsis eorum verbis explicabo. Legimus enim in *Kurma Purana* de hac re (cf. Kennedy Res. l. l. p. 446.) ita traditum: „Ii, qui sciunt mentis naturam semper eandem, et materiae expertem et ab omni mutatione liberam esse, intelligunt etiam hanc rerum universitatem, quamvis ex immensa rerum variarum et mutabilium copia constare videatur, revera tamen nihil nisi verae per se exstantis ac summae mentis ἀποκάλυψιν esse. Sicut enim vas crystallinum, cui flos ruber inseritur, rubro quidem colore tinguitur, sed revera integrum manet, neque rubro colore inficitur, ita mens divina, quamvis variis rerum formis vestita appareat, tamen integra et illibata et a materia pura servatur, et incorporea, omnia penetrans, immutabilis et aeterna est.“ Ibidem legitur l. l. p. 447: „Omnes sapientes in Vedis bene versati probe sciunt, omnes res et animatas et inanimas, e quibus hoc universum compositum est, nihil nisi ingentem formarum multitudinem et varietatem esse, quibus summa mens, omnibus rebus inhabitans, se induat.“

Quum deus in his cosmogoniis naturae rebus inhabitare dicitur, id non ita intelligendum est, ac si ille vires a se naturae inditas divino spiritu suo tantum animet et excitet et augeat, sed naturae vires ipsae divinae, sive numinis particulae esse traduntur, ita ut animus divinus rerum universitati inclusus putetur, natura rerum exterior dei forma sive corpus dicatur, et adeo deus cum mundo commisceatur. Cuius rei exempla ii loci suppeditant, qui statim afferentur:

„Ille deus summus, per universam rerum naturam sparsus, idem, qui in alvo materna fovetur, idem, qui nascitur, idem, qui in animantibus et singulis et universis viget, ante quem nihil ortum est, postea idem cum omnibus naturae rebus factus, ipse rerum creatarum omnium dominus, creandi opere delectatus, tria lumina produxit, solem, lunam et ignem“ etc. v. Asiat. Res. T. VIII. p. 431. Luculentius pantheismi exemplum Asiat. Res. T. VII. p. 251. legitur hoc: „Numen summum hoc universo et omnibus, quae fuerunt, sunt, et futura sunt, continetur[1]); quae alimentis crescunt, in iis vis divina conspicitur. Huiusmodi eius magnitudo est et propterea animus divinus corpori inclusus est; universi partes eius quoque partes sunt, quarum tres in coelum sublatae in immortalitate consistunt et una in hoc mundo visibili restitit.“

Haec de summa rerum causa materiali doctrina in Puranis mihi magis exculta videtur, in quibus non rerum universitas tantum et deus unum idemque esse dicuntur, sed singulae naturae res ut membra divini corporis proponuntur.

---

1) Eadem fere verba ex Orpheo Proclus refert (vid. in Tim. L. II. p. 96.):

πάντα
ὅσσα τ' ἔην γεγαῶτα καὶ ὕστερον ὁππόσ' ἔμελλεν,
ἐγγένετο· Ζηνὸς δ' ἐνὶ γαστέρι σύῤῥα πεφύκει.

Ibi enim cum alia tum haec tradita invenimus: „Ut tela texta e multis filis constat, ita hoc universum totum aliquid efficit, quod revera nihil aliud esse, nisi ipsum deum, qui intellexerit, erroribus liberabitur.“ Vid. *Kennedy* l. l. p. 452. et ibidem: „Dei forma exterior hoc universum eiusque spiritus coelum est.“ Vid. *Kennedy* l. l. p. 447. Ex Bhagawata *Kennedy* p. 219. locum attulit, ubi complura divini corporis membra enumerantur; sic venter dei omnium rerum substantia, crines arbores et herbae, capitis capilli nubes, barbae crines fulmina, ungues scopuli, venae flumina, ossa montes dicuntur.

Apparet ex his locis, Indorum theologos docuisse, deum et aeternum esse neque diversum a mundo, quem tamen aliquando initium habuisse arbitrabantur. Quae inter se pugnantia quomodo conciliaverint merito quaeras, sed frustra eorum responsum exspectas. Multa huius generis praeceperunt, pauca explicarunt. Quale est etiam illud, quod mentem mundanam ante originem mundi exstitisse tradunt: „Ab initio haec universitas rerum nihil erat nisi mens, nec quidquam praeterea erat eorum, quae postea exstitere agendi facultate sive praedita sive destituta. Mens secum cogitabat: mundum creabo, itaque hunc mundum creavit“ etc.

Haec pantheismi vestigia etiam apud alios antiquitatis populos deprehendimus. Ita Philo de migratione Abrahami p. m. 415. narrat, Chaldaeos suspicatos esse, mundum aut ipsum esse deum solum, aut eam, quae insit, animam universalem. Et Eusebio teste (vid. Praep. Ev. L. III. c. 9.) Aegyptii mundum utique deum esse voluerunt, ex pluribus diis, tanquam sui partibus compositum et constitutum[2]). Etiam Graecorum philosophi antiqui, Philopono auctore in L. I. de An. F. III. a. b., *ὑπενόησαν ψυχὴν ἐν παντὶ σώματι μεμίχθαι ὡς πᾶν εἶναι σῶμα ἔμψυχον.* Similiter in Orphei fragmentis *Ζεὺς* repraesentatur:

ἓν δὲ δέμας βασίλειον, ἐν ᾧ τάδε πάντα κυκλεῖται,
πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ αἰθὴρ νύξ τε καὶ ἦμαρ.
πάντα γὰρ ἐν μεγάλῳ Ζηνὸς τάδε σώματι κεῖται.

Vid. Euseb. Pr. Ev. III. 9.

§. 2.

Altera sententia fuit eorum theologorum Indicorum, qui creatorem ab omni materiae communione disiunctum, purum et spiritualem proposuerunt. E quo numine, quum nescirent, quomodo materiam mundi exiisse dicerent, materiam vere exstare negarunt; omnes naturae res, quae extra deum conspicerentur, eatenus tantum exstare contendentes, quatenus sub oculos caderent, et existentiae speciem tantum habere nihilque aliud esse nisi imaginem, qua deus praesentiam suam manifestaret eadem fere ratione, qua pictor pictura ingenium suum exprimeret. Hanc dei vim et facultatem, qua omnipotentiam suam specie rerum exserit, tanquam deam proposuerunt hi Indorum sapientes eamque Mayam[3]) nominarunt.

---

2) Ex Hermetis libris dicta idem probantia collegit Cudworthus Syst. int. cap. IV. §. XVIII. p. 404.

3) Hoc vocabulo proprie denotari dicitur imago inanis, vanitas. Maya personae partes agens omnium rerum, quarum origo obscura erat, mater habebatur. Buddhae cultores eam somnio assimulabant, cuius

Haec inde in cosmogoniis omnium rerum effectrix est, et Brahma eius dominus appellatur. Omnia φαινόμενα, e quibus haec rerum universitas constare dicitur, ab hac dea, summi numinis omnipotentiam significante, producuntur. Apparet igitur, creationem nunquam absolutam, sed in infinitum continuari illis sapientibus visam esse. Haec ita se habere, ut statui, Kurma Purana docet (vid. *Kennedy* l. l. p. 445.): „Anima mundi pura et subtilissima natura est, quae nullius rei impulsu movetur et sola veram existentiam habet; nam naturae res qui exstare credit, earum vana specie fallitur. Ab anima mundana rerum universitas producitur et exstinguitur; nam Mayae parens est, quae infinita rerum, quae cernuntur, varietate explicanda mortalium oculos decipit. Anima nec creat quidquam, nec ipsa creata est. Ut mens humana a cogitationibus in mente ortis diversa est, ita etiam summa mens secreta est a fallaci rerum amictu, quo instructa apparet. Qui sciunt mentis naturam semper eandem et ab omni materiae communione et contagione liberam esse, ii probe etiam intelligunt, hanc rerum universitatem, quamvis ex infinita formarum mutabilium varietate constare videatur, revera tamen nihil aliud esse, nisi per se existentis summae mentis revelationem.“ Ita in pluribus aliis locis mundi creatio et eversio explicationi et exstinctioni imaginis assimulatur. Totus igitur mundus istis philosophis talis videbatur esse, quales nobis imagines apparent cameram obscuram, quam dicunt, intuentibus. Nam omnes res et mobiles et immobiles vanas esse a Maya propositas imagines, easque cessante huius deae potestate exstingui docent. cf. Kennedy p. 200.

Verum haec dogmata satis sibi contraria, quae iam ex Indicis cosmogoniis proposui et explicavi, alibi in unum conflata sunt, de qua re iam supra paucis monui. Sic deus ipse inducitur Brachmanes alloquens (vid. Kennedy p. 452.): „Scitote, Brachmanes, me non eundem cum universo esse, nec tamen universum a me omnino diversum esse; nam Maya, quam ortus et interitus expertem mea natura complector, omnium rerum effectrix est, et quamvis ipsa non adspectabilis sit, tamen hanc rerum vanam speciem in mundo conspicuam progenuit. Ego vero, summus omnium dominus, qui incredibili gloria et aeterna felicitate fruor, eius parens sum; quo fit, ut sapientes rerum universitatem meae formae imaginem esse putent, in qua, quamvis magna varietas cernatur, tamen unus et per se constans animus est, qui omnibus rebus inhabitat. Hic animus meus est et mea sola vis, quae efficit, ut hominibus natura cum individua tum dividua et e variis generibus et formis composita videatur. Sed ut multa et varii coloris fila contexta vestem efficiunt, ita omnes et variae naturae res in unum concurrunt, et quicunque intelligunt hoc ipsum deum esse, ab erroribus liberi sunt.“

Haec de rerum ortu doctrina quamvis adeo singularis sit, ut in aliis anti-

---

imaginibus mortales aeque atque rerum fluxarum vanitate falli dicebant. In Vedis Maya numinis primigeni idea fuisse videtur, cuius ope omnia creavit, sola cogitatione, ut essent, quae non erant, efficiens. cf. Kennedy p. 404. — Recentiores Brachmanes eam e primo creandi desiderio, quo creator flagrasset, natam, deos et homines ad omnes fraudes et errores inducere et aeque atque apud Graecos Pandoram perniciosam esse docebant. cf. *Stuhr Religionsformen der heidnischen Völker* T. I. p. 222. Num Indicae Mayae cum Maia Graecorum aliqua intercedit affinitas? Nihil equidem decernam. Sed vid. Creuzer. Symb. T. III. p. 302 et IV. 237.

quitatis cosmogoniis, quod sciam, nusquam praeterea reperiatur, habet tamen aliquam cum aliis veterum de rerum origine effatis similitudinem. Neminem enim locos de Mayae ludibriis tractantes lecturum puto, cui non succurrant, quae alibi de Brahma rerum universitatem creandam curante traduntur: intelligo eos locos, in quibus Brahma ludentis potius quam creantis partes egisse refertur et mundus Brahmae crepundia appellatur. De qua re non alienum iudico a proposito meo paucis hic disserere et ex aliis cosmogoniis similia dicta componere. Ut Manu I. 80 (cf. *Schlegel Weish. u. Spr. der Inder* p. 283.) dixit:

> „*Innumerae mundorum creationes et eversiones se invicem excipiunt;*
> *Ludibundus eas continuat summus creator,*"

sic in Orphica theologia mundi *ἀθύρματα θεοῦ* nominantur, quod monet Creuzerus Symb. I. p. 592., qui huc facientem locum Procli ex comment. in Platonis Timaeum p. 101. affert: *ἄλλοι δὲ καὶ τὸν δημιουργὸν ἐν τῷ κοσμουργεῖν παίζειν εἰρήκασι, καθάπερ Ἡράκλειτος.* Quid, quod etiam in libris sacris Hebraeorum eadem sententia deprehenditur; nam in Proverb. 8, 22—32. sapientia, dei filia, omnium rerum effectrix, in conspectu patris lusisse dicitur. Idem lusus deorum magis etiam exornatus commemoratur in mythologia boreali, quod discimus e carmine, quod inscribitur *Völo-Spa,* quem locum integrum transscribere placet, ut quam referta fabulis sit mythologia illa appareat.

VII.

Conveniebant Asae[4])
In Idae campo,[5])
Delubra et fana[6])
Alte exstruentes:
Fornaces posuerunt,
Pretiosa fabricarunt,
Viribus nitebantur,
Omnia tentaverunt,
Forcipes formarunt
Et instrumenta fabrilia fecerunt.[7])

VIII.

Alea[8]) *ludebant in area,*[9])
Hilares fuerunt.
Fuit illis nullius rei
Ex auro[10]) *factae inopia,*
Donec venirent tres
Giganteae virgines[11])
Praepotentes e Titanum regionibus.

---

4) i. e. dii coelestes. 5) Quis hic non meminerit Graecorum fabulis celebrati montis Idae? Et Indis sua Ida erat. 6) Delubra et fana coeli vel aetheris non absimilem structuram significare videntur. 7) Haud dubie ad aedificandas sibi arces et aedes coelestes. 8) Stellarum cursus cum alea a diis coelestibus lusa comparantur. 9) Stellarum campo. 10) Aurum i. e. coelestium luminum splendor. 11) Nott, nox — Angurbode, tenebrae — Hela, mors.

§. 3.

Reliqui Indorum philosophi alium modum excogitarunt, quo deum materiam progenuisse dicerent. Hi enim deum summum ac solum ante rerum primordia ponebant, eumque ab aeterno omni qualitate destitutum, in alta quiete repositum, sine ulla immutatione permanentem, ab omni materia purum ac spiritualem fuisse dictitabant. E quo numine quum materiam nulla re interposita prodire potuisse negarent, et ad corpora procreanda numine corporis forma induto opus esse contenderent, illum deum aeternum e sua ipsius substantia alterum numen, quod creandi officio fungeretur, procreasse commenti sunt. Quo factum est, ut in Indicis his cosmogoniis duo creatores inveniantur, alter primus motor, alter effector omnium rerum. De hac theologia haec leguntur: „Cum Narayana[12]), summum numen, consilium cepisset hanc rerum universitatem condendi, neque fieri posset, ut numen corpore carens tale quid efficeret, e sua substantia deus numen corporis forma praeditum effinxit, cui quum, ut omnes res formaret, mandasset, ipse se recepit pristina quiete fruiturus.“ vid. *Kennedy* l. l. p. 246.

Vicissim in aliis cosmogoniis summus deus non generat e substantia sua demiurgum, sed mutatione substantiae suae sive transsubstantiatione facta, ipse corpore assumto prodit ad mundum creandum. Nam in Vaiu Purana haec leguntur (cf. Kennedy l. l. p. 218.): „Invisibilem, aeternam causam et fontem τοῦ ὄντος et τῶν φαινομένων, sensuum expertem, per se ipsum constantem, immobilem, immortalem, omnium rerum corpus visibile et mirificum Parabrahmam nominant. Hoc numen, quod intelligentiae humanae vim excedit, quod sine ortu et interitu est, quod forma et qualitatibus caret, primum corpore indutum ut Brahma apparuit ex altis tenebris, in quibus antea demersum latuerat.“ — Copiosior etiam et disertior de summi numinis natura et incarnatione locus exstat in Skanda Purana, quem Kennedy l. l. p. 217. exhibet: „Quo tempore omnes res exstinctae erant,[13]) tenebrae omnia complectebantur, in quorum ambitu Brahma, summus ac solus deus, ab omni materia purus, nec terminis ullis circumscriptus, immortalis, neque agens nec patiens quidquam, sine qualitatibus, neque initio nec fine terminatus, quamvis ipse forma careret, tamen solitudinis pertaesus ex sua substantia divinum numen finxit, et forma induit, quod omnis divinitatis capax esset, cuius forma omnes res impertirentur, quippe quod totius mundi parens sacrorum oblatione et veneratione dignum haberetur. Ita Schiva prodiit. Quo facto Brahma e regione rerum visibilium se recepit.“

Haec, quam legimus, theogonia in meram etiam fabulam abiit, et insigni exemplo docet, quam ferax fabularum ingenium Orientalium fuerit. Nam quod primigenum numen ab initio in aquis latuisse dicebatur et lotus luxuriosa foecunditatis imago habetur[14]), id vati Indico sufficiebat, ut Brahmam ex hoc

---

12) Hoc nomen non proprium esse summi numinis, sed aliquem in aquis se moventem significare, Colebrookius docet *As. Res.* V. p. 5.

13) Vide infra de mundi interitu et renovatione cap. II. §. 1.

14) De loto sacra cuius interest plura noscere, is Creuzeri Symbolicam evolvat, ubi inter cetera etiam T. I. p. 286. reperiet, quae Aegyptii cum Indis in hac re similia habuerint.

flore progenitum esse fabularetur. Quod qua ratione factum sit, Kurma Purana (cf. *Kennedy* p. 207. et p. 246.) ita docet: „Omnia vastus oceanus amplectebatur, in quo Narayana, mille capitibus et totidem manibus instructus, quum arcto somno sopitus iaceret et tandem creandi desiderio caperetur, subito ex umbilico dei lotus progerminavit, quae adspectu iucundissima, suavissimi odoris et sacris foliis ornata solem splendore aequabat. Aliquanto post ex hac loto Brahma enatus universi dominum adiit, eumque manu de somno excitatum blandis verbis ita allocutus est: Quid, domine, in hoc vasto et tenebricoso oceano iaces otiosus? Cui Vischnu respondit voce, quam nubium fragor, fortiore: O numen praeclarum, scias me esse Narayanam, unum solumque deum, universi creatorem omniumque rerum dominum et animantium parentem; sed quis tu es? Tum ille ira commotus et summam imperii sibi vindicans, Brahma, inquit, sum, omnium rerum et Vedarum auctor! Quo audito Vischnu in Brahmae corpus penetravit tres ibi mundos inclusos contemplaturus." — Taedet, quae sequuntur subiungere, quum iam satis ex his videri liceat, quo ineptiarum fabulandi cupiditas progressa sit.

§. 4.

Ad cosmogonias Indicas, quas adhuc explicare studui, si caput rei gravissimum spectamus, nulla propius accedit, quam cosmogonia Hebraica, quae in Genesi proposita est. Nam in Indicis cosmogoniis pariter atque in Hebraica ad unum deum omnium rerum origo refertur, neque ulla alia antiquitatis cosmogonia reperitur, in qua tam certa de uno summoque totius mundi auctore mentio facta sit. Explorandum igitur nobis est, num deus ille summus Indorum et Hebraeorum uno eodemque loco habendus sit, et quae ratio inter utrumque intercedat.

Iam quod Indos attinet investigans, qui factum sit, ut ex tot diis, quos colebant, unum rerum omnium auctorem fuisse crederent, possis arbitrari, cosmogoniarum auctores e multis diis, qui colerentur, unum, quem vulgus omnium deorum principem ac parentem et totius deorum familiae caput esse putaret, omnium rerum conditorem statuisse. At si populus Indicus ex multis suis diis unum ceterorum principem et mundi conditorem veneratus esset, profecto de huius dei nomine prae ceteris celebri ex sacris eorum libris certo constaret. Sed in ipsis cosmogoniis magna diversitas nominis deprehenditur, quo insignitur. In plurimis locis summum et primigenum numen nomine caret, cf. Asiatic Res. T. VIII. p. 404. 407. 421. Kennedy l. l. p. 447. Manu de legibus L. I. c. 1. 6. — In Vaiu Purana Parabrahma primus rerum auctor et Brahma demiurgus (cf. Kennedy p. 218.), in Padma Purana Brahma parens et Vischnu demiurgus (cf. Kennedy p. 207.); vicissim aliis locis Narayana, sive Vischnu, parens et Brahma demiurgus appellantur. Huc accedit, quod de summi dei cuiusquam cultu nusquam in ullo totius Indiae templo vestigia reperiuntur, id quod testatur Kennedy l. l. p. 176. Quamobrem cosmogoniarum auctores summum ac solum illum deum, a quo omnium rerum originem repetebant, non

e vulgi opinione receptum, sed ex sua ipsorum de rebus divinis sententia fictum diis vulgo creditis anteposuisse, et ex tribus illis diis, qui mundo praeesse putabantur, unum vel alterum ad principatum evexisse consentaneum est. Hae igitur cosmogoniae testimonio sunt, iam antiquissimis temporibus, quibus illae compositae sunt, mentem hominum Indiae politiorum et cultiorum non amplius in polytheismo acquievisse, sed pro insito vera investigandi studio ad altiora contendisse et unum esse deum omnium rerum auctorem iam mature divinasse. Apud Graecos etiam mature monotheismi vestigia inveniri satis constat. Hesiodi quidem cosmogonia divinum mundi auctorem ignorat, sed iam Thales docuit, Cicerone teste de nat. deor. L. I. c. 10., deum eam mentem esse, quae ex aqua cuncta fingeret, et Anaxagoras *τὸν νοῦν πάντων ἀρχήν* posuit, vid. Arist. de anim. L. I. c. 2. et Plutarch. in Pericle cap. 4 extr. Atque in theologia Graeca eodem modo, quo in Indica, unum trium deorum summorum mundi creatorem praedicari et Iovem omnium rerum auctorem haberi videmus. Nam in Orphicis passim legitur: *Ζεὺς ἀρχή, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται — εἷς δαίμων γένετο μέγας ἀρχὸς ἁπάντων*, et apud Homerum Il. α. 544. et aliis locis: *Ζεὺς πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.*

Ex ipsa Aegypto, quae antiquitus magnis superstitiosae religionis tenebris offusa fuisse dicitur, philosophorum placita de uno numine, quod omnia creaverit et toti rerum naturae praesit, servata legimus, e. g. ab Horapolline Hieroglyph. L. I. c. 64., qui per anguem integrum *τοῦ παντὸς κόσμου τὸ διῆκον πνεῦμα* significari monet, quem et aliis locis deum tanquam mentem a mundo distinctam et diis materialibus praefectam docere Iablonskius commemorat in Panth. Aegypt. L. I. c. II. §. 7. Ita etiam apud alias antiquitatis gentes polytheismo deditas reperiuntur praecepta philosophorum, ex quibus eos unum deum statuisse appareat, quam ad cognitionem sua mentis vi et philosophandi studio pervenerunt.[15])

Ab illis autem longe differt cosmogonia Hebraica. Nam ex ea satis elucet, Iehovam unum solumque mundi creatorem omniumque rerum moderatorem non a solis philosophis et theologis excogitatum et creditum, sed a tota gente Hebraica, ab indoctis pariter atque a doctis cultum esse. Hebraicae enim cosmogoniae auctor paucis tantum verbis commemorat, Iehovam ab initio mundum condidisse, nec quidquam praeterea addidit, quo huius dei, qui iam omnibus notus esset, indolem et vim declararet, ipsumque unum summumque deum esse, vulgo persuaderet. Et cetera quoque sacra Hebraeorum scripta in celebrando eodem illo uno et solo deo eiusque cultu commendando consentiunt. Quo tempore igitur apud ceteras gentes polytheismo deditas soli philosophi nonnulli unum deum esse persuasum habebant, apud Hebraeos monotheismum summum religionis dogma fuisse et lege sacra toti populo praescriptum fuisse constat. Et si narrationem de origine huius populi libris sacris Hebraeorum traditam audimus, Iehova unus solusque deus iam a patribus et conditoribus gentis Hebraicae, antequam illa in civitatem coiret, colebatur. Abrahamus autem unde notitiam dei unius perceperit, nemo pro certo dixerit. Interim hoc Abrahami exemplo non evertitur sententia, quam supra proposui, ubi polytheismum monotheismo priorem

15) Hos philosophos allegavit eorumque placita percensuit Cudworth. Syst. int. cap. IV. §. 20.

exstitisse et unius dei notionem demum studiis hominum cultiorum animo conceptam esse contendi: Abrahamus enim sapientium patriae suae institutione ad notitiam dei unius in Mesopotamia, unde in terram Canaaniticam immigravit, pervenisse et secum importasse videri potest, nisi eum, — id quod iam Iosephus (Antiqq. Iudaic. L. I. c. 7.) et Philo (de Abrahamo p. 360. in Opp. edit. Paris. et Francof.) commemorant — sua ingenii vi, contemplatione mundi et cursus siderum in hanc sententiam adductum esse statuere malis.

§. 5.

Proximi post eos, qui mundi creationem ab uno aliquo numine a rerum natura earumque principiis distincto et separato inchoatam perfectamque esse dicebant, Persae commemorandi sunt, qui mundi originem a duobus numinibus repetebant. Nam non multum aberat, quin omnia ad unum creatorem referrent, nec ratio, qua inducti pro uno duos statuerunt omnium rerum auctores, prorsus inepta est. Apud alios etiam populos difficillima illa de malorum origine quaestio hominum politiorum ingenia valde exercuit. Nam quam aliam ob causam excogitata est celebrata illa de aurea aetate fabula, nisi ut origo malorum explicaretur, quae, quum a principio dii nihil nisi bona creassent, hominum-vitiis excitata supervenisse hac fabula dicuntur. Habebat suum quisque fere populus diabolum, quem malorum auctorem horrebat; sed Persae eo a ceteris discedebant, quod diabolum creationis participem faciebant[16]) et duos creatores, deorum principes et parentes, totius mundi conditores, omniumque rerum effectores ponebant, ita quidem, ut, quaecunque in rerum natura bona, utilia et iucunda haberentur ab Oromasde, quae vero mala, perniciosa et molesta invenirentur, ab Arimanio prodiisse existimarent. Atque etiam in cosmogonia fines constituerunt, quibus vis et potestas utriusque contineretur. Nam secundum eorum sententiam Oromasdes super omnia elatus et excelsus in luce ab initio fulgente habitabat una cum lege sua, quae e summa eius sapientia et sanctitate emanabat, Arimanius vero cum lege sua in tenebris commorabatur et regnabat.

De origine utriusque dei in eo libro, qui Bun-Dehesch inscribitur, haec leguntur: „Zend docet, initio summos deos, Oromasden et Arimanium, vita impertitos esse; Oromasden natum quidem a tempore, sed in aeternum victurum, nec minus Arimanium a tempore genitum esse; utrumque a principio temporis origine et termino carentis solam familiam fuisse.“

Quem locum qui sine opinione praeiudicata legerit, nihil aliud eo contineri intelliget, nisi summos deos, quos Persae omnium rerum auctores colebant, omnium deorum principes fuisse, sed ipsos tamen aliquando in temporis infiniti spatio initium habuisse. Sed fuerunt, qui longe aliam his verbis sententiam subesse arbitrarentur. Nam quod de tempore dicitur, illi non ita intelligunt, ut tem-

16) Recte scribit Abulfeda (vid. Brucker. Hist. critic. phil. I. p. 173.), duos esse Persis rerum auctores, deum scilicet et diabolum, et hanc eorum doctrinam fuisse usque ad Zardushti tempora.

pus spatium, quo summi illi dii orti sint, significet, sed temporis vocabulo supremum numen designari putant, primum mundi auctorem, a quo originem duxerit uterque ille deus et cuius auspiciis Oromasdes et Arimanius creationem omnium rerum continuaverint[17]). Citantur etiam e Zend-Avesta loci, qui hanc sententiam probare videantur. Sic in eo libro, qui Vendidat inscribitur, Oromasdes Arimanium his verbis alloquitur: „Arimani, malae legis parens, Zervane Akerene (tempus nunquam genitum) te produxit, cuius summa vi ac potestate etiam Amschaspandi, purae illae mentes et sanctissimi coeli reges facti sunt. Ego Honover (verbum) pronunciando creationem continuavi.“ Explicatius de eadem re in libro Eulma Eslam[18]) ita disseritur: „Zoroaster in lege sua disertis verbis explicavit, Oromasden et Arimanium esse a tempore natos, omnium rerum parente.“ Confirmari videtur haec de tempore tanquam summo numine sententia etiam aliis mythologiis, ubi de tempore similia praedicantur. Sic in Indicis de tempore, primo rerum parente, mentio facta est. Nam in Kurma Purana hoc dictum memoratu dignum exstat (cf. Kennedy l. l. p. 447.): „Tempus omnia, quae vult, efficit; quare summum numen nomine Kala (tempus) notum et vulgatum est.“ Eodem nomine creator appellatur in Skanda Purana (cf. Kennedy l. l. p. 276.), quem locum integrum transscribere placet: „Olim, quum omnes res deletae et dirutae iacerent[19]), neque quidquam restaret, nisi oceanus immensus, et omnia densis tenebris obruta essent, unum tantum numen supererat, Maha Kala, per universum spatium expansum, quod somni pertaesum quum languorem excuteret, bulla in aquarum superficie orta in ovi magnitudinem et formam succrevit; quod quum vidisset Maha Kala, ovum diffidit et ex eius superiore parte coelum, ex inferiore terram finxit, e media Brahma prodiit.“ — Neque tamen hoc loco probari potest tempus ipsum tanquam numen summum proponi; sed Maha Kala cognomen Schivae est, quod diserte ad marginem notatum est a commentatore Indico.

In Orphicis etiam, quae complura cum Orientalium dogmatis et fabulis communia habent, de tempore similia dicta deprehendi licet. Sic refert Proclus in Comment. ad Plat. Crat. p. 64.: *Ὀρφεὺς τὴν πρώτην πάντων αἰτίαν χρόνον καλεῖ ὁμωνύμως σχεδὸν τῷ Κρόνῳ·* idemque in Theol. I. 28. 68. scribit: *τοῖς Ὀρφικοῖς τὸ πρώτιστον αἴτιον χρόνος προςείρηται,* similiterque in Parm. L. VII. 230.: *τὸ αἴτιον τῆς ἐκφάνσεως τῶν θείων Ὀρφεὺς χρόνον ὠνόμασεν.*

Sed quamvis in his locis tempori genitoris munus tribui videatur, ego tamen vehementer dubito, num scriptores id sensu proprio intelligi voluerint. Longe enim similius veri est, auctores cosmogoniarum hic etiam more poetarum[20]) locutos esse, quemadmodum cetera, quae disputarunt, poeticum colorem

---

17) cf. Rhode, *die heilige Sage des Zendvolkes* p. 182.

18) Hic liber, qui de religione plurima gravioris momenti continet, incertae item aetatis est et a Persis ipsis etsi perantiquus, tamen libro Bun-Dehesch aetate inferior putatur.

19) Vide infra cap. II. §. 1.

20) Fuerunt quidem etiam poetae, qui tempus omnium rerum initium fuisse sine imagine dicerent, velut Linus, qui Laertio (vid. Lib. I. s. 4.) teste cosmogoniam, quam scripsit, sic exorsus est: *Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.*

referunt, ita ut quaecunque in temporis spatio orta essent, e gremio temporis procreata per imaginem dicerent. Ita quum Oromasdes et Arimanius temporis filii dicuntur, nihil aliud significatur, nisi eos non ab aeterno fuisse, sed in temporis spatio initium aliquando habuisse. Quam sententiam ut veriorem putem, eo etiam adducor, quod nusquam praeterea de temporis divinitate aut cultu divino quidquam legimus commemoratum.

§. 6.

Iam excussis et inter se comparatis, quantum fieri potuit, Indorum, Hebraeorum et Persarum cosmogoniis, restat, ut ceteras persequar, quas in comparationem me vocaturum esse supra professus sum. Has autem breviter percurrere potius quam perscrutari decrevi, quum et per se levioris momenti atque ob scriptorum brevitatem passim obscurae et ambiguae sint, nec multa habeant, quae inter se commode componantur. Accedit quod hae, de quibus iam dicturus sum, cosmogoniae a rerum scriptoribus ad nos propagatae, non sacris populorum libris servatae sunt et valde incertum dubiumque est, num unquam, quales quidem a scriptoribus traditae sunt, publice creditae et sancitae fuerint.

Et primum Chaldaeorum de cosmogonia paucis mentio iniicienda est, quam Berosi fragmentis contineri constat. Atque in hac quidem Belus appellatur summus rerum opifex; sed num ille ab aeterno et ante rerum principia exstiterit, in ambiguo relictum est. Item qua religione cultus sit, neque e cosmogonia, neque aliunde cognosci potest; nam ex illa id tantum discimus: Belum, cum ab initio omnia tenebris obducta et aquis circumdata fuissent, accessisse et indigestam rerum molem in ordinem et formam redegisse, et ad homines creandos aliis diis administris usum, neque a solis suis populis mundi deum habitum esse. Praeter hoc pusillum Berosi fragmentum nequidquam alii fontes circumspiciuntur, ex quibus accuratiorem huius dei notitiam hauriamus; nam neque eorum, qui Belum religione colebant, populorum scripta monumenta antiqua supersunt, nec ii populi, qui Beli cultoribus finitimi erant, eius cultum tanti aestimarunt, ut memoriae quidquam de eo mandarent. Ita libri sacri Hebraeorum saepe quidem Baalem commemorant, sed tantum abest, ut cultum eius accuratius describant, ut simpliciter superstitionem abominandam et idololatriam detestabilem appellent. Ex quibus non magis, quam ex Graecorum de hoc deo dictis quidquam ad rem nostram illustrandam proficimus.

§. 7.

Accedo ad cosmogonias Graecorum antiquissimas, quae apud Hesiodum et Aristophanem leguntur. Quae quidem cosmogoniae ab iis, quas hucusque enumeravimus, eo differunt, quod summam et primam rerum causam non deum aliquem statuunt, sed omnium rerum principia quaedam materialia ponunt, quibus appetitum coeundi, sive desiderium sese commiscendi, et vim quandam genetricem, quam Cupidinem sive Amorem nominant, infuisse tradunt, unde ortum sit creationis initium. Hunc amorem cosmogonicum Hesiodus inter deos

quidem retulit his verbis: ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι — sed de opera in mundi formatione ab eo praestita nihil amplius commemoravit. Contra in cosmogonia antiqua ab Aristophane servata Amor ut ante coelum, mare et terram, ita etiam ante deos ipsos exstitisse perhibetur; nam verba eius haec sunt in Avibus V. 700.:

Πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν Ἔρως ξυνέμιξεν ἅπαντα.

Qualis huius rerum causae natura et in commiscendis rerum principiis opera fuerit, Philo Byblius in adulterata sua scriptorum Sanchuniathonis translatione explicare studuit, qui principium huius universitatis aerem tenebrosum ac spiritu foetum, sive tenebrosi aeris flatum ac spiritum fuisse scribit. Hunc spiritum amore principiorum suorum flagrasse eoque mixtionem consecutam omnium rerum procreationis initium fuisse.

Etiam ex Orphicis poematis, quae complures de mundi origine locos habuisse videntur, de creatore rerum, qui Φάνης in plurimis locis appellatur, indicia a recentioris aevi scriptoribus servata sunt, sed non sine magna nominum confusione. In qua quamvis multae dubitationi locus relinquatur et difficillimum sit de singulis recte iudicare, id tamen pro certo haberi potest, illum creatorem non ex Graecorum mythologia informatum, sed ex Orientalium doctrina descriptum et haud dubie ex Indorum theologia petitum esse. Quod quo magis liqueat, nonnulla, in quibus Orphica cum Indicis consentiunt, in medium proferre libet. Vel ovum mundanum, quod dicitur, e quo demiurgus in Orphicis evasisse traditur, fabulae originem satis luculenter prodit, ut infra, ubi de hoc ovo copiosius dissceretur, videbimus. Ex Orphicorum reliquiis in Lobeckii Aglaophamo diligenter collectis haec attulisse sufficiat: Clemens Homil. VI. 4. p. 672. cum alia tum haec scribit: Ἐνθόθεν γὰρ τῆς περιφερείας (τοῦ ᾠοῦ). ζῶόν τι ἀῤῥενόθηλυ εἰδοποιεῖται, προνοίᾳ τοῦ ἐνόντος ἐν αὐτῷ θείου πνεύματος, ὃν Φάνητα Ὀρφεὺς καλεῖ, ὅτι αὐτοῦ φανέντος τὸ πᾶν ἔλαμψεν.

Damascius Quaest. p. 346.: ὁ παρ' Ὀρφεῖ πρωτόγονος θεὸς, ὁ πάντων σπέρμα φέρων τῶν θεῶν, ἀπὸ τοῦ ᾠοῦ πρῶτος ἐξέθορε.

Multa de Phanete eiusque nomine disputata sunt; mihi quidem probatur eorum sententia, qui eum sive a φαίνεσθαι sive a φαίνειν nomen habere dicunt, quippe qui aut primus apparuerit, aut omnia procreandi vi ac potestate in lucem produxerit. Ita iam Veteres hoc nomen interpretati sunt: Lactantius Inst. I. 5.: Orpheus, inquit, deum verum et magnum Φάνητα nominat, quod, cum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit. Etymol. M.: τὸν δὴ καλέουσι Φάνητα, ὅτι πρῶτος ἐν αἰθέρι φαντὸς ἐγένετο. Contra τοῦ φαίνειν notio latet in Tim. V. 335.: ὁ Φάνης τὸν σύμπαντα κόσμον κάλλιστον καὶ ἄριστον εἰς δύναμιν ἀπέφηνεν.[21]) Quare fuerunt, qui eius mytho solem significari putarent, ipsumque solem omnium rerum causam facerent; cf. Lobeckii Aglaoph. I. p. 497. — Etiam quae de Phanetis forma in Orphicis traduntur, ad Indicam imaginem efficta videntur. Proclus in Tim. III. 130.: τοιαῦτα Ὀρφεὺς ἐνδείκνυται περὶ τοῦ Φάνητος θεολογῶν· πρῶτος γοῦν ὁ θεὸς παρ' αὐτῷ ζώων κεφαλὰς φέρει πολλὰς καὶ — κριοῦ καὶ ταύρου τ' ὄφιος χα-

21) Ab his discedentium et Φάνητα Graecum nomen esse negantium sententias vid. in Creuzeri Symb. T. III. p. 293.

ροποῦ τε λέοντος.[22]) cf. Hermias in Phaedr. p. 137.: *τετρὰς ὁ Φάνης, ὡς Ὀρφεύς φησι Τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα.* His subiungam, quae in Indicis scriptis iisdem fere verbis tradita legimus. Sic Vaiu Purana (Kennedyo teste, vid. *Researches* l. l. p. 218.) narrat: „Summum numen, Parabrahma, per Puruscham (spiritum) et Prakritin (naturam) ovum gignendum curavit, eique indidit omnium rerum elementa.[23]) Quo facto ovum in mediis aquis aliquantum temporis circumferebatur bullae instar[24]), dum dei voluntate ad maturitatem perduceretur. Nam interiorem eius partem summum numen, Brahma nomine, fovebat, qui tandem ex eo, corporis forma assumta, prodiit quatuor vultibus ornatus[25]), primus animantium procreator. Numen vero, quod hunc in mundum ex ovo mundano, corporea forma indutum, *mille capitibus et mille oculis* praeditum prosiluit, etiam Virai nominatum est.“ Ad hunc locum Colebrookius observavit, huius numinis Virai substantiam suam in marem et feminam dividentis[26]) mentionem in pluribus Puranis fieri, et Kennedy p. 376. docet, nomen Virai e radice Sanscritica *apparere* significante formatum esse. Cui nomini prorsus respondet Phanetis appellatio. Phanetis cum hoc numine affinitatem declarat etiam splendor eius, qui e. g. in Bhagawata (cf. Kennedy p. 219.) celebratur his verbis: „Virai apparuit splendorem solis luci parem diffundens.“ Quae satis evincunt, quanta intercedat similitudo inter Orphica et Indica scripta; quod etiam discrepantia deprehendimus, non mirum est, quum fabulas, quo latius dispergerentur, eo magis interpolatas et adulteratas esse constet. Etiam apud Aegyptios eandem fabulam vulgatam esse ex Eusebii Praep. Ev. III. c. 11. videtur apparere, ubi haec relata leguntur: Aegyptii opificem universi, quem Kneph appellant, humana specie finxerunt. Hunc porro deum ex ore ovum edidisse narrant, ex eo alium satum esse deum, qui ab ipsis Phtha, Vulcanus a Graecis nominetur. Ovum autem illud mundum interpretantur etc. Quamvis lubricum sit de Aegyptiorum numinibus pronuntiare, illud tamen non temerarium fuerit affirmare, hunc Phtha Orphico Phaneti et Indico Virai affinem videri, quum Graeci eum cum Vulcano compareut, ex quo ignea et splendida eius natura apparet, et vocabulum Phtha ipsum, si recte explicuit Iablonskius Panth. Aegypt. L. I. C. II. p. 50., rerum constitutorem significet.

§. 8.

In Eddis, septentrionalis mythologiae monstrosis imaginibus ac fabulis famosae codice, tres demiurgi numerantur. De quibus demiurgis, quamvis quae in

---

22) Ita creatorem descripsisse theologos puto, ut *ζωοδοτῆρα* designarent.

23) cf. Clement. Homil. VI. 4. 671: *Ὀρφεὺς τὸ χάος ᾠῷ παρεικάζει, ἐν ᾧ τῶν πρώτων στοιχείων ἦν ἡ σύγχυσις.*

24) Eod. loco: — *ὥσπερ ἐν ὑγρῷ πομφόλυξ.*

25) Ut supra *τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενος.*

26) *Ἀῤῥενόθηλυ ζῶον.* Sine dubio etiam adiectivum *διφυής*, quod Amori tribuitur, (vid. Orph. Argon. V. 14.) ad eandem huius numinis cosmogonici masculinam et femineam naturam spectat; nam amorem, quem ab Hesiodo et Aristophane inter principia rerum relatum esse ostendi, eundem esse atque Phanetem, ibi commemorat poeta his verbis: *Κρόνος ἐλόχευσεν ἀπειρεσίοις ὑπὸ κόλποις αἰθέρα καὶ διφυῆ Ἔρωτα — ὃν ῥα Φάνητα ὁπλότεροι κλῄζουσι βροτοί.*

illis poematis continetur cosmogonia amplior sit, quam quae in huius libelli angustiis accuratius explicari possit, tamen non possum quin pauca hic disputem, praesertim quum societas trium deorum etiam in aliis religionibus deprehendatur. De iis igitur in Völo-Spá haec leguntur:

III.

Initium fuit saeculorum,
Quum Ymer[27]) habitabat.
Non erat arena nec mare,
Nec frigidae undae,
Terra nusquam est reperta
Neque supernum coelum;
Erat inane chasma,
Sed nusquam gramen,

IV.

Antequam Böri[28]) filii
Orbes coelestes extulerunt,
Ii, qui medium mundum
Illustrem crearunt.
Sol collustrabat e meridie
Palatii lapides, muros.[29])
Tunc terra pullulavit
Viridibus herbis.

Novum potest videri, quod in hac cosmogonia mundi origo non ab uno deo repetitur, sed tres simul mundi auctores numerantur. Quorum deorum quum unus tantum, Odinus, in religione septentrionali summa veneratione cultus sit, et in multis locis deorum hominumque pater et mundi creator celebretur, duo reliqui contra obscuri sint nec in ceteris Eddarum odis invocentur aut celebrentur, vel hac ipsa re fratrum in creandi opere societas suspecta redditur. Et cum apud antiquos populos idem numerus ternarius in constituendis non solum deorum principibus, sed saepe etiam in humanarum gentium auctoribus[30]) pervulgatus sit, in promtu est intelligere, qui factum sit, ut tres dii etiam in boreali cosmogonia creatores appareant. Gravius est quaerere, unde haec tam late propagata trium deorum consociatio orta sit, et qualis inter eos necessitudo in quaque religione intercesserit, investigare. Quae res quamvis difficillima explicatu sit, tamen hoc loco silentio praetermitti nequit, quum

---

27) Gigas, immani forma sua chaos primitivum repraesentans.

28) Bör, cuius nomen a verbo *böre*, portare, sustinere, derivatur, cosmogonica substantia humana forma praedita fuisse traditur, cf. Edda Snorr. p. 7. Huius filii tres, Odin (coeli spiritus), Vili, (lux coelestis) et Ve, (ignis) creatores mundi in Völae carmine denotantur.

29) Terrae intellige, eiusque saxa et montes.

30) Sponte succurrunt apud Graecos Aeolus, Dorus, Xuthus; apud Hebraeos Abrahamus, Isaacus, Iacobus.

apud Indos haec trium numinum theogonia cum cosmogonia tam arcte cohaereat, ut altera omissa altera explicari non possit. Iam quod primam originem huius numeri ternarii in theologiis veterum obvii attinet, nullam equidem necessitatem in humana de rebus divinis cogitandi ratione positam invenio, qua adducti complures populi in hanc de trium deorum societate, vel de tribus unius dei personis sententiam ultro et simul inciderint. Hinc ubi hoc dogma aut pronuntiatum disertis verbis deprehenditur in aliqua religione, aut obscurius significatum est, id non continuo existimandum est ratiocinando et meditando inventum esse, sed potius circumspiciendum est, num religio illa integra sit et incorrupta et num pura servata sit ab exterorum dogmatum admistione. Quo facto apparebit, opinor, ubicunque hoc dogma deprehenditur in religionibus, ibi alia etiam ab exteris adscita repertum iri, ita ut huius quoque dogmatis origo domestica admodum dubia et incerta reddatur. Quis vero populus primus hoc dogma invenerit, utrum Indi, apud quos primos nos quidem illud deprehendimus, an alius quis populus ante omnem memoriam aliqua rerum divinarum doctrina excultus prius in illud inciderit, a quo ad Indos propagatum sit, quis in tanta rerum vetustate pro certo dicere audeat? Iam quum Indica religio antiquissima habeatur et in Indicis cosmogoniis plurima de trium deorum necessitudine disputentur, inde placet exordiri. In India tres deos omnium principes et summa semper veneratione dignos habitos esse constat et de eorum principatu pariter in omnibus scriptis mentio fit, et ita quidem, ut distinctis eorum officiis Brahma mundi creator, Vischnu eiusdem conservator appelletur, Schiva moderatore omnes res ad interitum eant vel mundus deleatur. Sed quamvis officiis ita inter se disiuncti in libris sacris dicantur, et a populo Indico adeo singulari sua quisque illorum deorum religione cultus sit, ut Indi in tres sectas discederent, in Vaischnavas, qui Vischnu, in Schaivas, qui Schivam venerandum praeferrent, in Smartas, qui utrumque aequali veneratione prosequendum ducerent (vid. Kennedy l. l. p. 179.): tamen omnibus, quae reperi, de horum trium deorum societate dictis collatis et perpensis non dubito affirmare, eos arctissima necessitudine contineri, quae non multum differat a trinitatis natura, qualem theologi Christiani constituunt. Quod ut ostendam, ante omnia in memoriam revocem necesse est, quod iam supra multis locis comprobatum est, in cosmogoniis Indicis unum summumque deum ab aeterno exstantem ab initio omni qualitate destitutum et vacuum in summo et immutabili otio degentem proponi. Credebant Indi, in hac ipsa conditione divinam perfectionem consistere, eamque cogitanda aliqua summi numinis qualitate aut motu detrimentum capere. Cuius perfecti numinis cum non voluntate sola et quasi nutu hanc rerum universitatem productam esse, sed ad hunc mundum adspectabilem et qualitatibus distinctum creandum item numine qualitatibus et forma praedito opus esse cogitarent, illud primigenum numen ad hoc opus patrandum tres ex se ipso qualitates aut ὑποστάσεις progenuisse iisque indutum prodiisse excogitarunt, quas quidem qualitates Brahmam, Vischnu et Schivam appellarunt, et Brahmae creantis, Vischnu conservantis, Schivae exstinguentis partes tribuerunt. Unde natae sunt unius et per se exstantis summi dei tres species sive personae. Luculenter hanc doctrinam perspicimus e loco, quem Kennedy l. l. p. 176. e Naradiya Purana transtulit: „Numen primigenum ad

efficiendam mundi creationem, conservationem et exstinctionem in tres se personas explicavit, quae e summi numinis substantia productae suo quaeque muneri nomen accommodatum acceperunt. Sed quamvis summus deus omnibus Brahmae creantis, Vischnu conservantis et Schivae delentis nomine notus sit, tamen unus idemque et corpore omnique animi affectu est et qualitate vacuus, immortalis et immutabilis deus habendus eiusque sanctum nomen Parabrahma est." E Lainga Purana ad eandem rem facit hic locus (cf. Kennedy p. 201.): „Unum tantum et summum numen est, quamvis in tres hypostases divisum, cuius natura mirifica est et humanae mentis captum excedit." Eâdem sententiâ in Vaiu Purana scriptum est (cf. Kennedy l. l. p. 218.): „Parabrahma, numen summum et aeternum, formae et qualitatis expers, primum corporeus ut Brahma apparuit," et ibidem p. 200. in Naradiya Purana: „Narayana creationis initio tribus qualitatibus et tribus formis praeditus suo splendore hoc universum revelavit." Haec summi numinis transformatio et immediata et praeter omnem naturae legem facta compluribus in locis ad naturae ordinem revocari videtur. Nam haec divina transsubstantiatio interdum verbo progignendi indicatur; sic scriptum est (vid. Kennedy p. 246.): „Ita de mundo creando meditatus Narayana ex sua ipsius substantia divinum numen progenuit." Et „Summum et primigenum numen tres filios progenuit, ita ut e dextro eius latere Brahma, e sinistro Vischnu et e tergo Rudra prodirent": quae verba sunt Padmae P. (vid. Kennedy p. 205.) et Naradiya P. (ibid. p. 200.).

Hae summi numinis personae sive hypostases non genitae tantum dicuntur, sed earum etiam genus distinguitur. Nam mares nominantur, iisque tres etiam deae adiunctae sunt, quae Saraswati, Lakshmi et Parvati appellantur, ut Kennedy p. 197. monuit. Quarum eo consilio hic mentionem feci, ut appareret, quanta similitudo in munerandis diis et deabus inter Indicam et Graecam mythologiam intercedat. cf. Hesiod. Theog. 453—458. Numerus deorum et dearum par est, nomina eorum Graeca num cum Indicis etiam significationis ratione habita comparari possint ignoro, quum Indice nesciam. Indici dii officii muneribus distincti erant; Graeci vero imperia loco separata tenebant, quae etiam a divina quadam Potentia superiore coercita fuisse in multis poetarum locis legimus. cf. Creuzeri Symb. T. II. p. 457 et 496 sq. Neque apud Graecos defuerunt, qui summos Graecorum tres deos ad unam divinitatem revocarent. Sic Pausanias (vid. Corinthiac. cap. 24.) scripsit, Larissae fuisse vetustum Iovis simulacrum, cuius duobus oculis tertius in fronte additus esset, hisque tribus oculis Iovem rebus in coelo, sub terris et in mari versantibus prospicientem significari suspicatus est. Idemque sibi voluisse Proclum *τριάδι δημιουργικῇ* sua Creuzerus docet (vid. Symb. T. II. p. 485.), quem narrat in Commentar. ad Platonis Crat. tres Ioves statuisse: primum Iovem patrem, alterum Iovem Poseidona (*δύναμιν*), tertium Iovem Plutonem (*νοῦν*). Arctius illud vinculum, quo Indicos tres deos contineri ostendi, neque Orphicis prorsus incognitum fuisse videtur; nam quod Phanes, quem supra iam vidimus similem esse Indico deo Virai, *τρίμορφος* appellatur et describitur, eodem spectare videtur, quo tria in Brahmae effigie capita. Ad hanc triplicem primigeni dei formam explicandam pertinet, quod ex Orphicis cosmogoniis traditur a Damascio (cf. I. Chr. Wolfii Anecd. Gr. p. 253.)

his verbis: *ἐξ ὕδατος καὶ γῆς δράκοντα γεννηθῆναι κεφαλὰς ἔχοντα προςπεφυκυίας ταύρου καὶ λέοντος, ἐν μέσῳ δὲ θεοῦ πρόσωπον*; cf. Athenagoram Legat. pro Christ. p. 18 sq. ed. Colon. 1686 et Proclum in Tim. III. 130 et 131.[31]) Huius imaginis colores ex Aegyptiorum mythologia repetere studet Creuzerus Symb. T. III. p. 309. Sed accuratiorem de Orphica theologia perobscura et perplexa disputationem non capiunt huius libelli angustiae.

In Persarum quoque theologiam, quos antiquitus dualismum professos esse supra monui (vid. §. 5.), fuerunt, qui tritheismum inferrent et Oromasdae Arimanioque tertium aliquem deum, Mithram, adiungerent, quem aut medium inter Oromasden et Arimanium posuerunt, aut his superiorem collocarunt. Qua de re ante omnes audiendi sunt Plutarchus, qui narrat (de Isid. et Osirid. c. 46.), a Zoroastre, mago, bonum deum *Ὠρομάζην* et malum *Ἀρειμάνιον* nominatum esse, *μέσον δὲ ἀμφοῖν τὸν Μίθρην εἶναι*, et Hesychius, qui hunc Mithram primum Persarum deum, omnium rerum conditorem ac parentem fuisse testatur.

Multum et varie disputatum est de hoc deo, in cuius nomine, genere et dignitate explicandis in contrarias sententias discedunt Creuzerus Symb. T. I. p. 728—799., Rhode *Die heilige Sage oder das Religionssystem der Baktrer, Meder und Perser, oder des Zendvolkes. Frankf.* 1820 p. 264 sq., Kleukerus in Zend-Avestae translatione et commentationibus aliique, quorum disputatio inprimis vertitur in his quaestionibus: 1) Num Mithras pro deo solis habendus sit; 2) quo iure Herodotus Libr. I. c. 131. deam, non deum eius nominis inter Persarum deos commemoret, narrans Uraniae quoque sacrificare Persas, sic nimirum ab Assyriis Arabibusque edoctos, vocare autem Assyrios Venerem Mylittam, Arabes Alittam, Persas Mithram; 3) quare Mithras *τριπλάσιος* nominatus sit a Dionysio Areopagita (Epist. VII. ad Polycarpum p. 91. T. II. Opp. ibidemque vid. Maximi Scholion); ceteros veterum locos huc pertinentes adduxit Cudworthus Syst. Intellect. c. IV. §. 16. p. 333. Hos locos et illorum virorum disputationes legentem me mirum habuit, cur nemo eorum affinitatem luculentam animadverterit, quae Mithram Persicum et Phanetem Orphicum et Virai Indicum intercedit, quorum naturam similem paulo ante explicavi (vid. §. 7.). Nam ut hi a splendendo nomina traxerunt, sic Mithras a splendore, qui ubique praedicatur (vid. Iescht-Mithra. Zend-Avesta L. II. p. 220.), cognominatus videtur. Deinde locus Herodoti nonne eundem duplicem sexum in Persico deo prodit, quem in Indico et Orphico iam vidimus? et quum *τριπλάσιος* appellatur, num differt a Phanete, quem *τρίμορφον* dictum novimus?

Denique fuerunt etiam, qui in Aegyptiorum mythologia trinitatem sibi invenisse viderentur, quorum sententiam neque habeo quo refellam neque quo confirmem.

---

31) Alia eiusdem generis commenta Platonicorum omnia ad triades suas revocantium vide in Lobeckii Aglaoph. L. II. 479 sq. et Iac. Bruckeri Hist. crit. phil. L. I. p. 391 sq.

Cap. II.

De ratione creandi.

§. 1.

De ratione creandi expositurus quum id inprimis grave et necessarium putarem investigare, unde quaeque cosmogonia initium creationis statueret, in scriptis Indicis in locos incidi, qui ubi aliae cosmogoniae de omnium rerum primordiis exponere incipiunt, de tempore, quo omnia prioris alicuius mundi interitu deleta fuissent, mentionem faciunt. Sed accuratiorem et pleniorem de hoc mundi interitu doctrinam usquam in scriptis illis invenias. Hinc commode accidit, quod quae ibi desiderantur aliunde suppleri licet. Etenim in libris, qui de Buddhae religione referunt, dogma reperitur optime comparatum ad illustranda ea, quae in Indicis obscura videntur. Nam Buddhaistae docent, mundum periodica iteratione et deleri et renovari, et hunc, quem intueamur, mundum neque primum neque extremum esse, sed alios mundos innumerabiles eum praegressos et in posterum secuturos esse. Quae sententia non multum abesse videtur ab eorum opinione, quos Diodorus in initio bibl. hist. c. 6. ait negasse mundo (i. e. materiae) ortum fuisse et interitum futurum esse. Itaque in cosmogoniis ad cognoscenda rerum principia examinandis quum ante omnia opus sit, distinguamus, utrum de mundi creati an renovati initio agatur, non possumus quin in fronte huius capitis de illius dogmatis ortu et propagatione paullo copiosius exponamus, usi, quantum fieri possit, ipsis Buddhaistarum verbis.

Docent autem Buddhaistae, spatium esse immensum, nec tempore unquam, nec finibus usquam terminatum, perpetuae materiae ad mundos formandos plenum, ibique aeterna et immutabili lege mundos et fingi et resolvi (vid. Iourn. des Savans. 1831. p. 727.); atque ita etiam hunc mundum ex aquis, procellis saevientibus, atomorum concursu et coagmentatione ortum esse, et a mente suprema animari, quae, quamvis in materia multis indiciis se vere esse doceat et potentiam suam declaret, ipsa tamen invisibilis sit et in otio degat, nihil curans imperium mundi, qui fati necessitati obtemperet. (vid. Asiat. Res. VI. p. 240. 245. et Kennedy Res. p. 427.). Huius spatii, mundorum quasi officinae, tres regiones[32]) distinguuntur, summa, quae omni colore ac forma vacua et mutatione libera est; media, colore et forma praedita; ima, materiae particeps, animantium domicilium omniumque rerum receptaculum, quae continuis mutationibus obnoxia est.

---

32) In Indicis cosmogoniis item tres mundi numerantur, vid. Kennedy l. l. p. 295. Asiat. Res. V. p. 361.

Huius de mundi continua renovatione opinionis vestigia in Indicis scriptis, quae supra significavi, haec reperiuntur: In Lainga Purana (vid. Kennedy l. l. p. 201.) legimus: „Ex ovo hos mundos creavit (Brahma), quos tempore destinato exstinctos tenebris immerget, quo facto summus dominus se ipsum manifestandi cupidus universum renovabit; nam ortus et interitus in hac rerum universitate perpetua est vicissitudo.“ In Vedis a Colebrookio in Asiat. Res. V. p. 361. translatis haec legimus: „Quo tempore omnia dissoluta erant et exstincta, summum numen solum vivebat, tenebris undique obductum“, et paullo inferius: „Mundi dominus in universa rerum exstinctione sopitus revixit.“ His addenda sunt, quae e Puranis Kennedy excerpsit dicta similia, e. g. e Skanda Purana l. l. p. 276.: „Olim quum omnes mobiles et immobiles res dirutae essent, nec quidquam superesset, nisi oceanus immensus“ etc. — a quibus verbis et aliae complures cosmogoniae in Puranis incipiunt; vid. Kennedy l. l. 295. 215. 217. Huc pertinent etiam quae in Kurma Purana (cf. Kennedy l. l. p. 447.) summum numen de se ipso effatur: „Quando cum tempore coniungor, me ipsum mundo creando conspicuum facio, sed mundum exstinguo quando in occulta recedo“, et quae in Manu legg. I. 8. leguntur: „Tempore, quo omnia deleta erant, peracto, summus dominus hunc mundum creare coepit.“

Neque tamen omnes cosmogoniae Indicae huius dogmatis vestigia continent; nonnullae lectorem incertum et dubium relinquunt, utrum de tempore ante primi mundi creationem, an de spatio inter prioris mundi exstinctionem et novi creationem loquantur.[33]) In ceterarum gentium cosmogoniis nullum quidem indicium mundi hunc, quem nos conspicimus, praecedentis reperi; nam quod de hoc mundo aliquando exstinguendo et renovando passim commemoratur, cum hoc dogmate non cohaeret neque materiae aeternitatem probat, sed meliorem hominis statum post mortem aliquando futurum spectat. Sic in Persarum Zend-Avesta mundi interitus ita fere describitur: E cometae Gurzscheri ruina orbis terrarum ignem concipiet et hoc incendio dissolutus et in tartarum, Duzahk, collapsus igneum flumen efficiet, in quo, quando omnes mali cum ipso sceleratorum principe Arimanio a vitiorum sordibus purgati erunt, mundus renovabitur, qui nunquam posthac Arimanii maleficiis corruptus interiturus erit. In hoc mundo renovato Oromasdes et Arimanius simulque omnes Amschaspandi (ab Oromasde creati boni genii) et Devi (mali genii ab Arimanio illis oppositi) intima familiaritate coniuncti cum hominibus redivivis summa felicitate fruentur. Non absimilis est quae de mundi interitu sententia in Eddarum carminibus invenitur, quam detracto ornatu poetico paucis comprehendam. Ibi haec docentur: Mundus, quando finis omnium rerum adparebit, incendio delebitur et orbis terrarum mari demersus subsidet. Ex aquis autem postmodum emerget tellus,

---

33) Hoc placitum de infinita mundorum a deo creatorum serie et recentioribus scriptoribus probatum lego, e. g. Origeni princ. III. 5. 3. Iam ante Origenem Clemens Alex. (Photii Bibl. Cod. 109.) plures ante hunc orbem terrarum mundos fuisse deinceps exortos significavit, ad cuius sententiam refutandam Methodius, Tyri episcopus, librum singularem *περὶ γεννητῶν* conscripsit. (cf. Aug. Lud. Wegscheideri Instit. theol. christ. dogm. p. 317.).

herbis et graminibus sponte virescens et omnis generis frugum ultro ferax, et amoena, a novis diis, priorum filiis et successoribus, novisque hominibus habitabitur, qui suum solem a priore prognatum habebunt. — Renovationem orbis terrarum aliquando futuram etiam quosdam Novi Testamenti scriptores sperasse satis constat. Eadem fuit philosophorum nonnullorum antiquitatis opinio, quorum locos huc pertinentes collectos vide in Ukerti *Geographie der Griechen und Römer* Tom. II. sect. I. p. 226. not. 40 sq. Ex quibus sufficiat attulisse unum Senecae locum, qui scripsit Natur. Quaest. III. 28. et 30.: „Multis locis aestus excurrit innoxius et ordinem servat; ad mensuram enim crescit, iterumque decrescit. At illo tempore solutus legibus sine modo fertur. Qua ratione, inquis? Eadem qua conflagratio futura est. Utrumque fit, cum deo visum ordiri meliora, vetera finiri. — Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum et melioribus auspiciis natus.“

§. 2.

Iam postquam satis est dictum de iis cosmogoniarum Indicarum locis, quibus nostra de huius mundi origine disputatio impediebatur, accedimus ad quaestionem, quam proposuimus, tractandam et videamus, unde quaeque cosmogonia creatorem initium operis sui fecisse dixerit. Qua quidem in disputatione primum quaerendum est, utrum hic mundus ex materia aliqua rudi, quae creatori quasi inter manus erat, formatus sit, an sola dei creantis vi et potestate existere coeperit. Ad quam quaestionem si complures cosmogoniae parum distincte respondent, non est mirandum, cum quaevis responsio in gravissimas controversias inducat. Quod quum iam Indorum philosophi antiqui prudenter intelligerent, eam ingressi sunt viam, ut materiam quidem omnem ante creationem adfuisse disertis verbis negarent, nec tamen deum ex nihilo mundum creasse dicerent, sed prima rerum elementa ex deo emanasse docerent. Sed quum non omnes cosmogoniae Indicae, ut iam monuimus, inter se consentiant, et de creationis primordiis etiam magna inter eas sententiarum diversitas deprehendatur, distinguendi accurate sunt singuli loci et qui eandem continent sententiam coniungendi. Negatur omnis materia e. g. in Vedis (vid. *Asiat. Res.* T. VIII. p. 404.) his verbis: „Tunc neque τὸ ὄν neque τὸ φαινόμενον (ita reddidi, quae in interpretatione Anglica entity et nonentity appellantur), nec mundus, nec coelum, nec quidquam super coelo erat; nihil usquam ad usum cuiusquam comparatum, neque involvens, neque involutum; usquam aqua profunda et periculosa; mors non erat, nec propterea immortalitas; nullum inter diem et noctem discrimen.“ Quum in hoc loco auctor negat ante mundi originem fuisse τὸ ὄν, qua voce alibi in his cosmogoniis essentia summi numinis significatur, eum ante mundum fuisse summum et aeternum numen negare noluisse sequentia docent; nam pergit: „Illud (numen) tantum in hac solitudine versabatur, nec quidquam eorum, quae postea orta sunt, praeterea exstitit.“ Pronomine *illud* significat aliquid divinum, quod ante rerum primordia fuisse et mundi sive τοῦ φαινομένου (cf. cap. I. §. 2.) creatione existentiam suam manifestasse ait. Quam in rem

adiunxit: „Primum desiderium in pectore eius natum seminis propagantis origo factum est, quod sapientes mentis acumine perceptum ita distinguunt, ut inessentiae nomine id disterminent ab essentia.“ Ceterum mihi Sapiens in toto hoc loco caute de mundi origine philosophatus et ceterorum de hac re placita tangere vix ausus videtur. Et quod difficillimum est et periculosum cogitare, quod cogitare certe cogimur, hunc mundum initium habuisse et originem a numine sempiterno duxisse, cum tamen deus ille summus et aeternus ante mundi creationem in solitudine et otio versatus cogitari nequeat, hunc scopulum philosophus circumnavigare voluisse videtur, obscuris usus verbis et re in ambiguo relicta.

Quod hic pluribus expositum legimus, id aliis locis brevius indicatur, veluti „Ab initio summum numen solum fuit, nec quidquam praeterea exstitit.“ Vid. *Asiat. Res.* T. VIII. p. 407. Kennedy p. 215. et p. 217. et alibi. Emanationis descriptio paullo abstrusior in Vedis legitur et in ea quidem cosmogonia, cuius initium iam supra ex *Asiat. Res.* T. VIII. p. 404. proposuimus. Theologus ille, postquam asseruit, e desiderio in pectore summi numinis excitato semen genitale ortum esse, pergit: „E semine illo genitali simul et providendi vis (sive mentes sentiendi facultate praeditae), et materia (sive prima rerum elementa) prodierunt.“ Sed Sapiens Indicus creationis exordium explicandi difficultate circumventus in sequentibus ipse confitetur se frustra laborare in explicandis rerum initiis; nam subiungit: „Quis accurate cognoverit et quis mortalium declaraverit, unde et quomodo huius mundi creatio initium ceperit. Is, cuius regnum est in summo coelo, totius mundi moderator, probe id scit, sed nemo praeter illum huius rei habere potest scientiam.“

Hac de re tam ardua disputandi modestia non usi sunt Puranarum auctores, qui qua ratione rerum non solum inanimarum sed etiam animatarum elementa e summo numine progenita sint, subtiliter et copiose explicare conati sunt, ut videri licet ex Padma, Vaiu et Kurma Puranis (cf. Kennedy p. 215. 218. et 447. et Bhagawata P. I. l. p. 219.), quibus in locis de mundi origine ita disseritur: „Brahma, quum tempore creationis adpetente desiderio sui multiplicandi teneretur, mutatione suae ipsius substantiae facta ex sese *Prakritin*,[34]) *Puruscham*[35]) et *Kalam*[36]) progenuit. Quo facto tres etiam qualitates, puritatem, impuritatem, obscuritatem, produxit; quae quum inter se commixtae essent a Prakriti, praevalente obscuritate causa materialis, praevalente impuritate facultas efficiendi, praevalente puritate intelligendi facultas orta est. Ex intelligendi facultate conscientia (qua quisque se esse sentit) evasit; e causa materiali quinque atomi subtilissimae exortae sunt, e quarum coagmentatione, per causam materialem effecta, aether, ex aethere aer, ex aere lumen, e lumine aqua, ex aqua terrae prodiere. Tum ex efficiendi facultate ad excitandam animantium vitam aliae quinque facultates, et in aethere quidem audiendi, in aere

---

34) i. e. Naturam, proprie agendi facultatem.
35) i. e. Animum, sive intelligendi facultatem.
36) i. e. Tempus. cf. Stuhr, *Religionssysteme* etc. I. p. 126. et Bohlen, *das alte Indien*, I. p. 248.

sentiendi, in lumine videndi, in aqua gustandi et in terris odorandi facultates productae sunt."

Mirum me habet, quid causae Kennedy l. l. p. 176. habuerit, cur originem mundi, quae his in locis proponitur, veram ex nihilo creationem esse diceret et alio loco (p. 171.) emanationem in Indicis cosmogoniis nullam doceri contenderet. Non vidit, se ipsis earum verbi refutari. Nam qui deum ex se ipso mundum creasse dicit, quod diserte profitentur cosmogoniarum auctores, is profecto ex aliqua re, non ex nihilo mundum a deo productum esse dicit. Non ignoro quae de ambiguitate huius locutionis „*ex nihilo creare*" disputata sunt a theologis, at in his Indicis cosmogoniis nulla ambiguitas relinquitur, ubi affirmatio negationi unius eiusdemque rei opponitur. Et quum id ipsum theologi emanationem nominent, ubi creator ex sua ipsius substantia materiam ad mundum creandum petit, tantum abest, ut Puranarum editori emanationem in Indicis cosmogoniis doceri neganti assentiar, ut in his scriptis inprimis verae emanationis doctrinam reperiri contendam.

Quod deinde Kennedy l. l. ad sententiam suam tuendam provocavit ad Brahmae voluntatem, qua prima rerum elementa progenuisse dicatur, qua voluntatis commemoratione vera ex nihilo creatio intelligatur et inde emanatio tollatur: inter omnes constat, emanationis notionem hanc esse, ut prima rerum elementa ex ipso deo ducantur, et nihil referre, utrum ea e deo volente producta, an ex eo tantum patiente enata esse dicantur. Nec loci desunt in Indicis scriptis, si ipsius Kennedy e Sanscriticis litteris translationi fides haberi potest, ubi verbis „prodeundi" et „nascendi" prima elementa e summo numine orta perhibentur, vid. Kennedy p. 447.: „E summo numine Puruscha Prakriti et Kala prodierunt", et p. 215.: „Creationis tempore Brahma mutationem suae ipsius substantiae fecit, ex qua Prakriti intelligendi facultas et tres qualitates prodierunt."

Ordine, quo omnia ab initio mundi ex uno fonte emanabant, inverso, sub finem mundi omnia paullatim absorbentur, donec in eundem fontem recipiantur. Ita „terra et sensus odorandi ab aqua, aqua et gustus ab igne fulgente, ignis fulgor et visus ab aere, aer et tactus ab aethere absorbentur, aether ab atomis, et eodem modo atomi, facultates et qualitates se deinceps devorant; denique Kala, Puruscha et Prakriti a summo numine, omnium rerum fonte, absorbentur, quod unum et solum restat." Vid. Kennedy l. l. p. 225. Hoc omnibus numeris absolutum emanationis systema ex Indicis cosmogoniis proponere placuit, ut haberem, quo de aliis cosmogoniis, quae emanationis doctrinam continere dicuntur, indicarem. Qua in re illi etiam loci, quos in priore capite ad pantheismum demonstrandum collegi, (cf. cap. I. §. 1.) in memoriam revocandi sunt. Nam qui mundum per emanationem ortum esse docet, is pantheismo addictus sit necesse est. Tribus enim omnino modis rerum origo explicari solet: aut deus e praeexistente materia omnes res formasse, aut ex nihilo mundum creasse, aut e sua substantia prima elementa promsisse dicitur. Primus modus causam materialem extra deum ponit, alter eam e dei omnipotentia repetit, tertius ex ipso deo derivat. Quae quum ita sint, equidem iis adstipulari non possum, qui hoc de emanatione dogma per totum fere Orientem veterem pro-

pagatum esse adeoque in Persica cosmogonia inveniri et ex huius populi theologia Kabbalistas Gnosticosque eandem doctrinam hausisse contendunt (cf. Brucker. hist. crit. T. I. p. 180. T. II. p. 989. 645.). In Persica cosmogonia nullum locum reperi, quo deus omnia natura sua continens et complectens e sua substantia rerum elementa aliqua peperisse aut alios deos ex se progenuisse dicatur. Quod Oromasdes et Arimanius temporis filii dicuntur, non eo valere iam supra monui cap. I. §. 5., ut tempus numen, quod omnia rerum elementa in sinu foverit, haberi possit. Oromasdes habitans in luce aeterna coelum et deos coelestes, Arimanius tenebrarum regnum incolens malos deos procreavit. Qui haec simpliciter dicta ita torqueut, ut lucem aeternam purissimi ignis infinitum oceanum, et tenebras omnis materiae fontem fuisse, ex altero immaterialia, ex altero materialia omnia emanasse interpretentur, ii in omnibus cosmogoniis, quae creatione et generatione facta et parta dicuntur, per emanationem orta esse dicant necesse est, si sibi constare volunt; sed videant, ne polytheismum et pantheismum, ne theogoniam et emanationem confundant. Quae vero cosmogoniae chaos mundi principium ponunt et ex eius mole omnia rerum semina et elementa prodiisse fabulantur, iis si emanationis quoddam genus inesse contendas, non repugno; nam continuata rerum materialium, alterius ex altera, propagatio recte quidem potest emanatio appellari; sed apud theologos huius vocabuli usus constans hic est, ut non cuiusvis rei ex aliqua praesenti materia sed ipsius primae materiae e divino fonte origo emanatio nominetur. Quare etiam fuerunt, qui cosmogonias, quae chaos ante mundi originem ponunt, ita explicarent, ut ei activam et passivam naturam attribuerent et hoc modo chaos paene deum facerent, sive cum chao deum tam arcte copulatum cogitarent, ut unum fuisse cum eo et e sinu suo omnes res progenuisse contenderent; quae interpretatio num rei accommodata sit, facile ex ipsa illius principii, quod chaos dicitur, natura diiudicabitur.

§. 3.

Sed perdifficile est huius rerum principii, quod in compluribus cosmogoniis proponitur, naturam enucleare, quum, qualem cogitaverint, plerique cosmogoniarum auctores parum accurate docuerint, et iam ab antiquis interpretibus haec vox diverso modo explicata sit. Quam explicandi diversitatem et ambiguitatem quum in omnibus, quas de chao vidi, observationibus offendissem, meum esse putavi, denuo accuratius hanc vocem explicare et notionem eius omnibus locis, in quibus legitur, convenientem investigare. Atque locis inter se collatis et examinatis hoc mihi certum et exploratum visum est, theologos antiquos omnes chao aliquem statum designasse, qui fuerit, elementorum, antequam ex iis mundus formaretur. Qui igitur nec mundum ex nihilo factum esse, nec deum ex sese materiam produxisse, sed materiam iam ante mundi creationem exstitisse dicebant, hi plerumque materiam chao inclusam proponebant, et quod omnis natura viribus animata videtur, chao etiam omnium elementorum receptaculo iam vires quasdam insitas esse cogitabant. Quare recte dicemus chaos esse materiae praeexistentis sive elementorum congeriem spatio inclusam. Sed

ut omnes cosmogoniae de natura, quae materiae ante mundi formationem fuerit, de qualitate elementorum et virium, quae chao inhabitaverint, aut de finibus spatii, cui omnia inclusa fuerint, inter se consentiant, non potest postulari. Et perperam sine dubio fecerunt, qui duo genera illius principii statuebant et chaos aut spatium omnino vacuum et inane, aut materiae indigestam molem esse docebant, cum discrimen in eo tantum consistat, quod aliae cosmogoniae crassiorem et rudiorem materiae molem ad mundi fabricationem paratam chao incluserunt, aliae contra tenuioribus naturae elementis chaos impletum finxerunt, eiusque inprimis alvum omnium rerum seminibus gravidam ostenderunt. — Ad probandam hanc, quam proposui, definitionem inter ceteras Ovidii et Eddarum cosmogoniae maxime videntur accommodatae. Ovidius enim Met. I. 5—20. chaos unum naturae vultum, rudem indigestamque molem omnium rerum semina, terram, aquam et aerem, frigida et calida, humentia et sicca, mollia et dura complexam nominat. In boreali mythologia contra chaos, quod Ginnunga-gap[37]) nominatur, est spatium vastum et vacuum et ita leve vel tenue, ut aer venti expers, qua septemtriones spectat, pondere et gravitate glaciei et perpetua uligine auraque frigida oppletum, sed australis eius regio affluxu scintillarum et scoriarum candentium, quae e Muspellsheimo[38]) volitant, cooperta esse fingitur. Itaque hoc chaos mythologiae septemtrionalis spatium rebus quidem vacuum, sed propterea non ab omnibus rerum elementis destitutum est; e quibus quid evaserit, ipsis Eddarum verbis referam: Pruina quum aurae caloris occurreret, liquefacta est et in guttas resoluta. Ex guttis monstrum gigantea forma praeditum succrevit, Ymerus, quem Hrimthursi (gelidi et pruinosi Titanes frigorumque daemones) Aurgelmerum (i. e. luteum, aquosum aut humidum senem) vocabant. Ut haberet Ymerus, unde alimenta sumeret, contigit, cum pruina stillare pergeret, ut vacca inde nasceretur, Audhumbla[39]) dicta, e cuius ubere quatuor amnes lactei emanantes Ymero nutrimenta praebebant. Non multo post bello inter gigantes exorto Böri filii Ymerum occisum in medium Ginnunga-Gapii coniecerunt, ex sanguine maria atque flumina, ex ossibus montes, e dentibus et maxillis saxeta et lapides, e capillis herbas, e capite coelum, e palpebris habitabilem orbem et e cerebro nubes finxerunt. — Doleo quod huius scriptionis angustiis impedior, quominus ex tam ubere fabularum fonte plura cum lectoribus communicem. Prorsus autem singularis haec Eddicae cosmogoniae ratio est. Ubi aliae cosmogoniae de rerum primordiis verba faciunt, haec gigantem in proscenio ponit, terrarum orbe gravidum. Sed ut inter omnes antiquas mythologias affinitas quaedam facile cognoscitur, ita haec etiam borealis prosopopoeia

37) Altera pars huius verbi compositi *Gap* adhuc Danis vulgo usitata hiatum, voraginem significat, sed altera Ginnungr non una significatione legitur et diverso modo explicatur (vid. Edda. Saem. h. Frod. III. p. 394.); mihi perplacet derivatio a verbo *ek gin* sive *gein* (hio), ita ut Ginnunga-Gap vorago hians sit.

38) Novem mundi numerantur et distinguuntur in mythologia septemtrionali, quorum unus Muspellsheimr dictus est, quod Muspelli filii, flammei genii, ibi habitabant, qui in ultimo mundi interitu coelum et terram igne devastabunt.

39) Hoc nomen derivatur ab *audr* vacuus et *húm*, tenebrae, aer obscurus, eoque nil nisi atmosphaera, cuius ex ubere terram nutriri apte dixeris, significari videtur.

apud Indos, a quibus septemtrionum populi originem traxisse dicuntur, quasi sororem reliquisse videtur. Cognatus enim huic in Rigveda (vid. Asiat. Res. T. VIII. p. 421.) gigas chaoticus invenitur, quem creator ipse formavit hunc in modum: „Aquis extractum quid formando in animantis corpore praediti speciem assimulavit; tum id contuebatur et ex creati et ita conspecti ore in ovi magnitudinem patefacto sermo prodiit, e sermone ignis prosiluit. Nares eius distentae sunt, et e naribus anima exhalata, ex hoc vero animae meatu aer propagatus est. Oculi aperiuntur; ex oculis apertis splendor effulsit, e splendore vero sol ortus est. Aures dilatantur; aurium ope auditus excitatur ex coque spatium oritur. Cutis expanditur, e cute crines eriguntur, e quibus herbae et arbores crescunt. Pectus recluditur, e pectore animus et ex animo luna progreditur. Umbilicus rumpitur; ex umbilico deglutiendi appetitus, ex eoque mors nascitur. Membrum genitale frangitur, e quo semen frugiferum et inde aquae originem duxerunt.“

His gigantibus chaoticis etiam Omoroca Chaldaeorum accensenda est, quae mulier, e Berosi testimonio, quod Syncellus Chron. p. 28. nobis servavit, quum ab initio omnia tenebris et aquis involuta essent, in iisque monstrosa hominum et animalium genera viverent, haec omnia sub imperio suo habuit, sed a Belo in duas partes dissecta est, ita ut ex altera eius parte coelum, ex altera terra evaderet. In Graecorum cosmogoniis, quae supersunt, chai natura non accuratius describitur. Hesiodus Theog. 116. tantum scribit, chaos primum fuisse, ex eoque erebum atramque noctem natam esse, nec plura ab Aristophane in Avib. 694. docemur, e quibus locis interpretes nihil aliud elicuerunt, nisi vocabulum chai, a *χαίνω* sive *χάσκω* derivandum, spatium vacuum significare, ad quam significationem probandam ex ipsa Hesiodi theogonia locos afferunt, ubi tartarus chaos et chasma nominatur (vid. v. 700. 740. 814.). Sed non tam de spatio, quam de elementorum in hoc spatio maturescentium congerie cogitandum esse, iam monui; de qua re quo minus dubites in memoriam revocanda est pervulgata illa de ovo mundano fabula, qua eadem fere sententia continetur.

§. 4.

Theologi ut ob oculos ponerent, quo modo rerum elementa ad mundi creationem maturuissent, ea ovo infusa esse finxerunt, et ipsum chaos temporis progressu in ovi figuram coaluisse in Orphicis docetur. Ex Orphicis enim Proclus in Tim. I. 138. hoc affert: *ἦν τὸ ὠὸν ἐκεῖνο τοῦ αἰθέρος ἔγγονον καὶ τοῦ χάους* etc. Apio in Clement. Homil. VI. 4. 661. T. II. Galland. (p. 678. Cotel.): *Ὀρφεὺς τὸ χάος ὠῷ παρεικάζει, ἐν ᾧ τῶν πρώτων στοιχείων ἦν ἡ σύγχυσις. Τοῦτο Ἡσίοδος χάος ὑποτίθεται, ὅπερ Ὀρφεὺς ὠὸν λέγει γεννητὸν ἐξ ἀπείρου τῆς ὕλης προβεβλημένον.* — Multa praeterea ex Orphei poematis de ovo mundano apud veteres scriptores inveniuntur, quae omnia a Lobeckio collecta sunt Aglaopham. L. II. p. 474. Lobeckius vero fastidio quodam commotus subiecit: „Ovum hoc cosmogonicum utrum Orpheus a philosophis Phoenicibus, Aegyptiis, Babylonicis acceperit, an suopte ingenio in hanc vulgatissimam similitudinem inciderit, quaerere ludicrum est.“ — Mihi

quidem haec allegoria adeo singularis et praeter consuetudinem excogitata videtur, ut eam plures antiquos populos una simulque invenisse consentaneum non putem. Quare ludicrum non duco indagare, unde ovum mundanum ortum sit, quum cuiusvis antiqui dogmatis, quod ad plures populos fama propagatum est, fontem quaerere, magni intersit, et ex eiusmodi etiam quaestionibus pendeat iudicium de populorum origine et antiquitate. Ad Orphei de hoc ovo sententiam explicandam quae et antiquiores et recentiores interpretes contulerunt propterea non sufficiunt, quod fons, ex quo poeta sua hausit, iis ignotus erat. Qui Orphicae doctrinae fons, quem in Indorum scriptis quaerendum esse inter omnes constat, quum nuperrime apertus sit, licet nobis iam accuratius de Orphei sententia iudicare. Videamus igitur, quae de hoc ovo mundano ex scriptis Indicis colligi possint. Kennedy testatur l. l. p. 219. narrationem de forma ovi mundani in omnibus scriptis Sanscriticis iisdem fere verbis repeti. Illud vellem paulo accuratius a Kennedyo indicatum, quibus in scriptis ovi mentio fiat; nam non omnes locos, ubi ovum describitur, nobiscum communicasse videtur. Atque, ut statim meam hac de re sententiam proferam, primum quidem me mirum habuit, quod, quum in quaque fere Purana de ovo mundano legerem, in Vedis, quatenus eas legendi copia in Asiat. Res. data est, illud ne verbo quidem commemoratum vidi. Quae fabula si in ceteris quoque Vedarum cosmogoniis ineditis deest, coniectura de recentiore Puranarum et vetustiore Vedarum aetate plus firmamenti accipere videtur. Deinde in Puranis id tantum cosmogoniarum genus, quod supra emanativum nominatum et explicatum est, ovum mundanum admisisse legi; alterum genus, quod cap. I. §. 2. indicavi et quantum fieri potuit, illustravi, illam fabulam ignorat. Quod aliter fieri non potuit. Nam illud genus, quod pantheisticum est, materiae elementa ex ipso divino numine deducta ovo incrementa cepisse per imaginem ostendere voluit; hoc vero, quod numen supremum, ab omni materiae communione separatum, spirituale, solum vere exstare, rerum universitatem non vere exstare, sed existentiae tantum speciem habere ponit, sibi repugnasset, si de modo, quo materia parta esset, quidquam commemorare voluisset.

Sed ut ipsam de ovo mundano fabulam ex Indicis scriptis referam, cosmogoniae, postquam prima rerum elementa e summo numine deduxerunt (cf. cap. II. §. 2.), hunc in modum pergunt: „Ita prima rerum elementa comparata erant, sed, quamvis singula magnis viribus praedita essent, fieri tamen non potuit, ut eorum opera universum crearetur, dum separata manebant et antequam cuncta arctiore quodam vinculo coniungerentur. Itaque summum numen per Puruscham et Prakritin ovum formandum curavit, cui illa elementa inderentur.[40]) Quo facto hoc ovum in aquarum superficie bullae instar[41]) natabat, donec deo id fovente sensim maturitatem adipisceretur. Tum ex eo Brahma humani corporis forma assumta prodiit mundum creaturus.“ (Vid. Vaiu Purana ap. Ken. l. l.

40) In Orphicis: *ἐν ᾧ τῶν πρώτων στοιχείων ἦν ἡ σύγχυσις*, cf. Lob. Aglaoph. I. p. 475.
41) In Orph. l. l.: *ὥσπερ ἐν ὑγρῷ πομφόλυξ*.

p. 218.). Manu de legg. et Matsya Pur. ap. Ken. l. l. p. 223. summum numen fabulantur in aquam profundam semen immersisse, ex quo post multas annorum myriades magnum et aureum ovum ortum sit mille soles splendore aequans.

Secundum alias Puranas numen primigenum ipsum ovum intravit, ut ibi mille Yugas, quarum quaeque plus decies centena millia annorum complexa est (cf. Ken. l. l. p. 150.), aut unum Brahmae annum, sive 4,320,000,000 mortalium annos habitaret, dum elementa sterilia foecunditate impleret. Tum ovum in duas partes dissecuit, et e superiore parte coelum, ex inferiore terram formavit.[42])

Quod supra monui, hanc fabulam propter miram et singularem indolem non a pluribus antiquis populis simul excogitatam, sed ab uno ortam et ad alios propagatam videri, id his locis, quos attuli, ubi quaedam dicta ex Indica in Graecam linguam ad verbum translata videntur, iam sponte apparere arbitror. Conferenda cum his sunt, quae supra cap. I. §. 7. de Phanete disseruimus. Qua via autem ex Oriente in Graeciam illa fabula migraverit, ex eo ostendi potest, quod in Aegypto manifesta vestigia reliquit, quae Eusebius nobis servavit Praep. Ev. L. III. cap. XI. p. 115.: „Aegyptii creatorem, quem Cneph appellant, humana specie finxerunt, colore caeruleo, eoque nigricante, cingulum aut sceptrum manu tenentem. Hunc porro deum ovum ex ore effudisse narrant, ex eoque satum esse alium deum, qui ab iis Phtha, Vulcanus a Graecis nominetur. Ovum autem illud mundum interpretantur, eique numini ovem consecrarunt.“ Ad quem locum quum Iablonskii Pantheon Aegyptiorum evolverem, obstupui, quum hunc virum doctissimum, quem multi audaciorem interpretem habent, quamvis Indicae fabulae plane ignarus esset, illa deorum nomina ita interpretatum animadverterem, ut Aegyptiorum cosmogonia cum Indica prorsus consentiat. Haec enim sunt eius verba Lib. I. c. II. §. 8.: „Phtha et Kneph Aegyptiis antiquis unum idemque significant. Sunt duo nomina, quae diversa tantum attributa unius spiritus infiniti nostrae menti subiiciunt,“ quod cap. IV. eiusdem libri docta disputatione demonstrat; quae quum longior sit, quam ut totam transscribere possim, unum tantum hic attingam, et cum Indica quadam cosmogonia conferam. Iablonskius l. l. p. 97. vocabulum Kamephin, quocum nomine Kneph confusum fuisse multis locis probat, a verbo Coptico derivat, quod custodire, conservare significet, ita ut Kamephis custos sit. Cui significationi apprime convenire videntur, quae nobis Kennedy e cosmogonia quadam Indica tradidit l. l. p. 246.: „Narayana, summus deus, quum mundi creandi consilium cepisset, universitati rerum, quam creaturus erat, custode opus esse ratus ita secum locutus est: Cum ab incorporea mente nullum facinus patrari possit, e substantia mea numen corpore praeditum prodeat, quod mundum conservet. Haec locutus Narayana praeexistens e sua substantia formam ingenitam divinam produxit eamque his mandatis dimisit: Omnium rerum formator, o Vischnu, et mundi custos esto!“ Sed haec sufficiant de affinitate Knephi sive Kamephis et Vischnu, mundi conservatoris. Denique Iablonskius Horapollinem affert p. 44., qui L. I. cap. 12.

42) In Orphicis: *λέγεται ἐξ αὐτοῦ (τοῦ ᾠοῦ) ῥαγέντος εἰς δύο γενέσθαι οὐρανὸς καὶ γῆ, τῶν διχοτομημάτων ἑκάτερον.* cf. Lob. Aglaoph. T. I. p. 479.

testatur disertis verbis, Aegyptios Vulcanum suum sive Phtham perhibuisse *ἀῤῥενόθηλυν*, quo genere duplici et Indicum Virai sive Brahmam et Orphei Phanetem fuisse iam ostendi cap. I. §. 7.

Apud Graecos illa de ovo mundano fabula tantum in Orphei cosmogonias recepta, a reliqua mythologia repudiata est, quamvis et aliis poetis non incognita fuisse videatur; nam legimus in Aristophanis Avibus v. 695 sqq.:

Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν,
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός,
στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις.

Facile ex hoc loco intelligitur, quo consilio hic poeta ex vetere cosmogonia illud ovum receperit, et primo adspectu apparet, eum Graecas et orientales cosmogonias commiscuisse.

§. 5.

Cosmogoniae antiquissimae a multis contemnuntur, quod earum nulla sit, quae deum doceat mundum ex nihilo creasse: quod inique fieri in promptu est intelligere, quum ne haec quidem originis mundi explicandae ratio bene procedat et tantum absit ut difficultates tollat, ut novas etiam afferat. Hinc facere non possum, quin admirer et laudibus praedicem sapientissimum cosmogoniae Hebraicae auctorem, qui brevissime et prudentissime scripserit: „Initio creavit deus coelum et terram.“ Quod dictum nemo non intelligit omnes praecidere controversias et uno alterove verbo de dei aeternitate et omnipotentia aut de creandi ratione addito, multum perdere gravitatis. Deinde etsi locos, qui doceant, deum mundum ex nihilo creasse, et exponant, qua ratione deus mundum produxerit, in antiquis illis cosmogoniis frustra quaeras, tamen in iis singula dicta occurrunt, quae illius dogmatis quasi semina existimari possunt. Quae antequam in medium profero, id moneam necesse est, ad plenam quidem alicuius rei narrationem requiri, ut et factum, et modus, quo quid factum sit, tradatur, neque tamen, altero omisso, tolli utrumque. Modus vero, quo deus ex nihilo mundum creaverit, ex humana de deo cogitandi ratione non alius constitui potest, nisi ut eum sola cogitatione et voluntate mundum creasse, aut verbo aliquo usum esse dicamus, quo iuberet fieri, quae non essent. Itaque ubi cogitatione[43]) deus aut verbo mundum creasse dicitur, ibi eius omnipotentiam in universo ex nihilo creando praedicari videmus. Plenissime propositum hoc dogma legitur in Epist. ad Hebr. c. XI, v. 3.: *Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.* — Sed non minus valet locus, qui Psalm. 33, 6. altero omisso haec tantum continet: Coelum verbo domini et luminum coelestium agmen oris eius spiritu factum est. Verum tamen

43) Ut e Rigveda Colebrookius tradit: „Deus cogitabat: „Mundos creabo“ et mundi creati sunt.“ vid. As. Res. p. 421. et ex alia cosmogonia: „Haec moles, quasi glumae velamine contecta (i. e. chaos), tandem contemplationis divinae vi producta est.“ vid. As. Res. p. 404.

ut alibi, ita hic etiam, parva verborum mutatione facta, allegoria orta est, et pro formula: „deus mundum verbo creavit“ dictum est etiam: „verbum dei mundum creavit.“ Quo facto verbum ipsius dei loco positum, divina natura praeditum, creatoris vices suscepit. Ita verbum divinum apparet in Vedis, quod quo plenius intelligatur, ex hymno, quem Colebr. e Rigveda tradidit (vid. As. Res. p. 402.), pauca apponam. In hoc hymno Vách, dea, (quo nomine proprie *sermonem* significari Colebr. monet), suam vim et potestatem divinam celebrat hisce: „Coelum, solem, oceanum et lunam sustineo. Me mundi reginam, divitiarum donatricem, omnium rerum scientia insignem, et summa veneratione omnium dignissimam, ubique praesentem omnes naturae res penetrare dii ipsi testantur. Ad omnia creanda emissa venti surgentis instar mundum peragrans nec coeli nec terrae finibus contineor. Me eandem esse cum summo unoque numine scias.“

Hic *λόγος* Indicus iam Pseudo-Origeni non erat incognitus, vid. Philosophum. T. I. p. 904. Delar.: *Αὐτοῖς (Βραχμάνεσιν) ἐστιν ὁ θεὸς λόγος, οὐχ ὁ ἔναρθρος ἀλλὰ ὁ τῆς γνώσεως, δι' οὗ τὰ κρυπτὰ τῆς γνώσεως μυστήρια ὁρᾶται σοφός.*

Ita etiam Oromasdes creationem mundi perfecit magno illo verbo Honover (propr. Enohe verihe, i. e. *fiat!* vid. Creuzer. Symb. Tom. I. p. 709.), ut in Zend-Avesta Izeschne Ha XIX. scriptum legitur: „Purum, sanctum et efficacissimum Honover ante coelum et aquas erat, ante orbem terrarum, animalium greges et arbores, ante ignem, ante innocentes et perditos homines, ante Devos (malos genios), ante mundum adspectabilem, ante omnia bona ab Oromasde progenita rerum semina. Hoc verbum ante omnium animantium et deorum generationem vivum ipse magna cum gloria elocutus sum, et omnia, quae sunt et fuerunt et futura sunt, per id exstant. Nunc etiam hoc verbum ex ore meo continuo editum terrarum orbem omnibus rebus implet. Ita loquitur, per quem totus mundus creatus est.“ Hoc verbum etiam coelesti corpore et mente divina praeditum in Zend-Avesta invenitur et precibus invocatur, velut: „Precibus invoco Mentem divini verbi, corpore Eroschi (coelestis avis) praediti, luce splendidiorem.“ Cudworthus System. intellect. cap. IV. §. XVIII. p. 385 sqq. in Hermeticis scriptis idem dogma circumferri multis locis ostendit. In libris sacris uterque dicendi modus occurrit, vid. Genes. 1, 3. Psalm. 33, 6. Hebr. 11, 3. et inprimis Ioh. 1, 1—15., ubi verbum ipsum creatoris munere functum dicitur, quanquam hic locus a ceteris similibus eo differt, quod duo dogmata commixta continet, unum de Verbi substantialis creatione, alterum de Iesu Christi divinitate eiusdemque cum patre unitate.

§. 6.

Multa restant eorum, quae ex antiquis cosmogoniis in comparationem vocare constitui; nunc quum iam finis disputationi propter angustias huius libelli imponendus sit, ceteris omissis ea tantum, quae de generis humani origine narrata sunt, inter se conferam. De qua multae et variae fabulae reperiuntur, quae tamen ad certa quaedam genera redigi possunt. Ad primum genus refero

eas fabulas, quae deum e materia quadam primum hominem formasse tradunt. Libri sacri (Genes. c. I. v. 27.) simpliciter et praeclare primum hominem ad effigiem dei creatum esse narrant, at ibidem (cap. 2, 7.), ubi alius cosmogoniae fragmentum exstat, adiectum est, deum hominem e terrae gleba formasse, eiusque naribus animam inflasse. Talia aliae etiam cosmogoniae continent, sed rudiore modo primum hominem terrigenam faciunt; sic Chaldaica, quae inter multa absurde dicta quaedam habet, quae cum Mosaica narratione consentiant, de hominis formatione narrat, Belum, summum deum, sibi caput abscidisse, sanguinem e vulnere profluentem terrae immiscuisse et ex hac colluvie hominem finxisse. Sine dubio huius cosmogoniae auctor indicare voluit, hominem cum divino sanguine e capite effuso divinae mentis particulam imbibisse. Nota est etiam fabula apud Graecos antiquos vulgata et inprimis a poetis narrata de Prometheo primum hominem e luto et aqua concoquente.

Alterum genus constituo eorum, qui, quod omnia animalia generatione propagari videbant, primam etiam animantium stirpem a summo auctore genitam arbitrabantur, quae quidem sententia pariter fabulas aniles peperit, quarum unam e Yaiur-Veda (vid. As. Res. p. 406.) depromam, quae ita habet: „Haec formarum varietas ante corporis originem nihil nisi mens erat, humana specie praedita. Tum circumspiciens illud primigenum numen, quum nihil praeter se ipsum conspiceret, voluptate carebat, sicut nemo mortalium in solitudine degens delectatur. Quum igitur societatem inire desideraret, coniugium, quale inter maritum et uxorem obtinere solet, numen illud tali modo assecutum est. Se ipsum in duas partes dissecuit, ita ut ex altera parte maritus, ex altera uxor evaderet, e quorum coitu soboles humana producta est. Quo facto uxor sui compos facta, quum scrupulus ei iniiceretur, an non, qui ipsam e parte sui dimidia effecisset, sceleste ita secum coisset, amplexui eius aliam speciem induendo se subducere studuit; sed maritus quum illa vaccae formam assumsisset, taurus factus accurrit et vitulos progenuit. Ita etiam in equam et equum, in asinam et asinum mutati coeunt et genus solidipes evasit. Tum transformantur in capellam et caprum, in ovem et arietem, nec absimilem relinquunt progeniem. Hoc modo cuiusvis animalium generis usque ad formiculas soboles orta est.“

Quae hactenus ex scriptis antiquis attuli de animantium origine, ficticia quidem et partim inepta sunt, sed ita tamen excogitata, ut non plane ab omni naturae lege abhorreant; sed quae de hac re in Persica cosmogonia leguntur commenta, sic comparata sunt, ut ad oblectandum vulgus scripta esse videantur. In hac enim mythologia naturae incunabula quaesiturus ad tauri lustrum accedas necesse est, omnia et plantarum et animantium genera parturientis. Oromasdes hunc taurum tot seminibus gravidum inter rerum principia proposuerat; sed non potuit impedire, quominus Arimanii, adversarii sui, insidiis succumberet. E tauri mortui cauda quinquaginta quinque genera plantarum granatarum, duodecim morbis medentium, decem millia arborum, centies millies super terra se multiplicantium, progerminabant; e cornibus fruges, e naribus allium, e sanguine uvae, ex aliis membris alia frugum genera prodiere, ita ut e tauro illo primigeno omnes plantae propagarentur, ave quadam semina quotannis

de integro terrae inserente. Tum ex medulla tauri necati varia etiam animalium genera evaserunt et cuiusvis generis par a mundi summo auctore Oromasde in terrarum orbe positum est, quorum animalium genera plenissime recensentur. Denique de humani generis ortu docet, e dextro armo tauri morientis hominem primogenitum (nomine Kaimorts) excidisse alba et splendida facie et oculis in coelum sublatis praeditum. Huic Arimanium ad pestem et interitum omnibus ab Oromasde creatis inferendum semper pronum, ita ut cuique utili animali perniciosum opponeret, quum nullum invenisset, quo perniciem pararet, ad insidias struendas confugisse et multa molitum esse, ut eum exstingueret, neque tamen quidquam eum malitia sua profecisse, nam ex semine Kaimorti in terram delapso, solis luce purgato et a summis geniis tutelaribus custodito, arborem crevisse, ab ima parte columnae instar erectam, sed cacumen versus in duos ramos fissam tam arcte inter se coniunctos, ut unum truncum viderentur efficere. Hunc arborem fructuum loco decem genera hominum tulisse, ex quibus Meschiam et Meschianen, primos totius generis humani parentes factos[44]), ab initio innocentes et scelerum labis expertes Oromasden omnium rerum auctorem summum cum animi sanctimonia et pietate veneratos esse, sed postea Arimanii fraudibus et illecebris irretitos a veri rectique tramite deflexisse et tandem morte abreptos ad damnatorum sedem (Duzakh) detrusos esse, ibique iis versandum esse usque ad resurrectionem mortuorum.

Horum parentum non solum de ortu sed etiam de vita et interitu fabulam integram enarravi, quod similitudo quaedam ei intercedit cum nota illa de Adami et Evae peccato narratione, quae similitudo quum facile suspicionem iniicere possit, alteram fabellam paucis mutatis ex altera ortam esse, non alienum puto a proposito meo, quatenus eae inter se consentiant, hic commemorare. Concordat autem Persica cum Hebraica in eo, quod primos homines a summo numine innocentes et a malo integros prodiisse et externo quodam irritamento corruptos in vitia et mala incidisse et morti occubuisse ait. Sed quum Genesis auctor Evam serpentis fallaciis captam esse refert, cavendum est ne sub serpentis imagine eundem mali auctorem latere credamus, quem Arimanium fuisse legimus, etsi illius tetri animalis figura, qualem Persae describunt, digna videtur, quam Persicus diabolus interdum induat. Arimanius enim, Zend-Avesta teste, statim post confectam ab Oromasde creationem mundi, ira instigatus et omnia perdendi studio abreptus de coelo, serpentis facie assumta, desiluit in terram. At passim etiam commemoratum legimus, eum incitatum furore universam naturam evertendi in muscam mutatum omnia pervolitasse; ex quo patet apud Persas serpentis faciem non propriam fuisse diaboli, nec omnino apud antiquos populos adeo vulgatam esse, ut in scriptis veteris testamenti, cuius in antiquissimis libris nulla de Satana mentio facta est, serpentis nomine lecto statim de diabolo cogitaverint. Itaque in tertio capite Geneseos serpens non alias partes agit, atque quodvis aliud animal in fabulis; nam Hebraeos a principio diabolum esse non credidisse, sed Iehovam solum summumque deum veneratos omnia et bona et mala ab eius numine sive benigno sive irato duxisse, et Satanam, qui in recentioribus Vet. Test. libris invenitur, non domesticum sed adventicium fuisse in confesso est. A Persis ad Iudaeos hanc doctrinam propagatam esse suspicari licet, quum illius populi universa religio antiquitus semper dualismum, qui dicitur, professa sit, ita ut omnia, quae prospere acciderent et saluti hominum inservirent ad Oromasden, quae contra in rerum natura mala cuiuscunque generis essent, ad Arimanium, optimi numinis obtrectatorem, malorum satorem, totiusque naturae pestem referrent. Quamobrem Persica illa cosmogonia ad horum deorum naturam et necessitudinem nihil potuit convenientius tradere, quam hominum parentes ab Oromasde bona et felici conditione donatos esse, ab Arimanio vitiis infectos periisse.

---

44) Memoratu hic non indigna videtur borealis mythologiae relatio de eadem primorum hominum ex arboribus formatione: „Quum tres Böri filii, mundi creatores (cf. supra p. 19.), in maris littore ambularent, duas arbores Ascum (fraxinum) et Emblam (alnum) inveniebant, ex iisque ut homines crearent Odinus iis animam et vitam, Vili rationem et motum, Ve faciem, loquelam, auditum et visum dederunt. cf. Edd. Saem. h. Frod. Tom. III. p. 287. et Creuz. Symb. T. V. p. 343.

Jahresbericht

über

die Königl. Sächs. Landesschule zu Grimma.

Ungeachtet der diesmalige Jahresbericht einen Zeitraum von zwei vollen Jahren umfasst, so dürfte derselbe dennoch nicht umfangreicher als gewöhnlich werden. Der günstige Leser wird diese Kürze entschuldigen, da der unterzeichnete Verfasser an den mehrsten Vorkommnissen, die hier erzählt werden, weder persönlichen noch werkthätigen Antheil nehmen und blos auf mündliche und schriftliche Relationen verwiesen, bei herben Erinnerungen an die Vergangenheit, nicht mit gewohnter Lust schreiben konnte. — *Non est vivere, sed valere, vita!* (*Martialis* VI. 70.) Der Unterzeichnete erkrankte in Folge zu grosser Anstrengung als *Hebdomadarius* in der Nacht des $\frac{19}{20}$ Dec. 1840 ganz plötzlich, erholte sich jedoch bald wieder, so dass er mit dem Neujahr 1841 die Geschäfte seines Amtes wieder übernahm und ohne Unterbrechung bis zum 20. Febr. verwaltete, wo er aufs Neue in dem Grade krank und schwach ward, dass er nach dem Rathe der Aerzte auf längere Zeit sich von allen Arbeiten und Geschäften entfernen musste. Das hohe Cultus-Ministerium ertheilte aufs Wohlwollendste dem Unterzeichneten einen 8monatigen Urlaub, und wies dessen anfänglichen Wunsch, nur der schwierigen Directorial-Geschäfte, nicht aber der ihm zukommenden Lehrstunden überhoben zu sein, auf die ehrenvollste Weise zurück. Dasselbe übertrug durch hohe Verordn. v. 4. April d. J. interimistisch dem 3. Professor *M. Wunder* die Verwaltung des Rectorats, und genehmigte durchgängig die vorgeschlagene Vertheilung der Lectionen des Rectors, welche die übrigen Amtsgenossen auf die Dauer des gestatteten Urlaubs mit der freundlichsten Bereitwilligkeit übernahmen. So verlebte der Unterzeichnete mehr psychisch als physisch krank die geschäftlosen Tage des Sommers 1841 theils zu Leipzig theils zu Franzensbad in trüber Stimmung, so viel Trost und Ermuthigung er auch in der Zusprache naher und ferner Freunde fand, und der willigsten Unterstützung seiner Collegen versichert sein konnte. Es war und blieb ein *βίος ἀβίωτος*. Zu Anfang des Octobers kehrte er unter den herzlichsten Beglückwünschungen und Ueberreichung einer Votivtafel und mehrer Gedichte von Seiten seiner Collegen und Schüler zurück, und trat den 15. Octbr. sein Amt wiederum vollständig an, ohne jedoch bedeutend sich gekräftigt und erheitert zu fühlen. Wiewohl ihm durch die Uebernahme der gewohnten, ihm werth gewordenen Geschäftsthätigkeit ein neues Leben wieder aufging, so wurde

er dennoch den Winter hindurch nur zu oft gewahr, wie sehr jeder Aufschwung des Geistes von den drückenden Fesseln eines kranken und geschwächten Körpers nieder gehalten werde, und bei aller Ergebung in den Willen des Höchsten, verzweifelte er nicht selten an der Möglichkeit eines fortgesetzten Wirkens in seinem Amte. Das hohe Cultus-Ministerium hatte, auf Bitten, die Gnade, dem Unterzeichneten auch in diesem Sommer vom 17. Mai einen 6wöchigen Urlaub zu einer abermaligen Reise nach Franzensbad zu geben, von welchem er am 27. Juni zurückkehrte. Seitdem wirkt er, auf die wohlthätigen Nachwirkungen jener böhmischen Heilquellen noch harrend, wiederum im Amte, ruhig und ergeben der Zukunft entgegensehend, doch auch eingedenk jenes empfehlenswerthen Ausspruchs eines Römischen Rhetors beim *M. Seneca, Contror.* 1. 8.: *Optimus virtutis finis est, antequam deficias, desinere!*

I. a. Chronik der Landesschule
vom September 1840 — 1841.

Bei der damaligen Feier des Stiftungstages, bei welcher, unter Wegfall des herkömmlichen Gottesdienstes in der im Ausbau begriffenen Klosterkirche, nur der gewöhnliche Redeactus stattfand, wurden am Schlusse desselben, den Stiftungen gemäss, die Namen der Percipienten von Stipendien und Bücher-Prämien bekannt gemacht. Die *von Rackel'schen* Stipendien erhielten: 1. *Carl Otto Coith* aus Chemnitz; 2. *August Herrmann Hartlich* aus Chemnitz; 3. *Franz Ludwig Otto* aus Görnitz; 4. *Carl Julius Ackermann* aus Elsterberg. Die Bücher-Prämien empfingen aus Cl. I.: 1. *Joh. Gottfr. Vieweg* aus Leipzig; 2. *Eduard Otto Pfützner* aus Schneeberg; aus Cl. II.: 3. *Heinrich Ludwig von Kommerstädt* aus Schönfeld; 4. *Eduard Herrmann Kühn* aus Budissin; aus Cl. III.: 5. *Ernst Herrmann Teufel* aus Schneeberg; 6. *Gottfried Lohde* aus Schönfeld bei Hain; aus Cl. IV.: 7. *Carl Herrmann Schmidt* aus Johann-Georgenstadt, und 8. *Carl Julius Reibetantz* aus Glaucha. Bei Angabe dieser Namen dürfte für den Leser die Bemerkung nöthig sein, dass in Gemässheit der Stiftung ein Stipendium einem und demselben Schüler, welcher die dazu nöthigen Eigenschaften bewahrt, alljährlich ertheilt werden kann. Dieselbe Vorschrift findet sich bei dem *Stipendium Alumnorum quondam Grimensium*, welches, hoher Vorschrift gemäss (s. Jahresber. v. 18$\frac{39}{40}$ p. IV.), damals so vertheilt wurde, dass zwei Schüler der 4. Cl.: *Eduard Gottlob Wigand* aus Geithayn 8 Thlr. und *Carl Philipp Justus Keitel* aus Leipzig 4 Thlr. erhielten.

Am 26. September wurde den Schülern der Stoff zu den schriftlichen Arbeiten für das Herbst-Examen gegeben und zwei Wochen darauf, den 10. Octbr., die Versetzung von 116 Schülern, die damals den *Coetus* bildeten, gehalten, wobei nachstehenden Alumnen Bücher-Prämien zuerkannt wurden: A. den Primanern: 1. *Heinrich Ernst Wagner* aus Frohburg; 2. *Friedrich August Geyer* aus Chemnitz. B. den Secundanern: 3. *Alexander Emil Schweinitz* aus Mark-Neukirchen; 4. *Rudolph Herrmann Maul* aus Weida. C. den Tertianern: 5. *Carl Herrmann Walde* aus Putzkau bei Budissin; 6. *Johann Heinrich Müller* aus Dewitz. D. den Quartanern: 7. *Anton Const. Nathanael Kleinpaul* aus Grossgrabe, und 8. *Christian Wilhelm Gottfried Döhler* aus Schöneck.

Vom 9. Octbr. bis zum 15. Decbr. entbehrte die Schule der so rüstigen und höchst nützlichen Thätigkeit des *Prof. M. Lorenz,* welcher in dieser Zeit bedenklich krank lag.

Am 11. Octbr. wurde in herkömmlicher Weise das Andenken an den Tod des ehemaligen Schul-Inspector *von Rackel* gefeiert.

Am 28. Octbr. begingen Lehrer und Schüler die Feier des heiligen Abendmahls *privatim* in der Frauenkirche, da die öffentliche Feier desselben am Reformationsfeste locale Hindernisse daselbst fand.

Am 3. Januar 1841 erkrankte ein Alumnus und Unterquartaner an den Masern, von denen die Anstalt viele Jahre verschont geblieben war, ungeachtet sie sich einige Male in der Stadt und Umgegend gezeigt hatten. Diesmal waren sie offenbar ans der Ferne eingeschleppt worden, da unmittelbar vorher mehre Schüler aus den Weihnachtsferien zurückgekehrt waren. Wiewohl von der Schul-Inspection sofort die nöthigen Maassregeln getroffen wurden, um durch eine zweckdienliche Sperre, welche in unsern Schulgebäuden leicht ausführbar ist, die Ausbreitung des Uebels zu hemmen, so ward dennoch nicht verhindert, dass im Laufe des Januar und Februar nach und nach mehre Alumnen von den Masern ergriffen wurden, die jedoch einen gutartigen Character behielten und nur bei Einigen nachhaltig in ihren Folgen waren, die aber durch die anerkannte Geschicklichkeit und rastlose Fürsorge des Schularztes *Dr. Bormann* bald entfernt wurden. Die Zweckmässigkeit und Treue unsrer Krankenpflege fand dankbare Anerkennung.

Durch hohe Ministerial-Verordnung v. 1. Febr. wurde von der Schulinspection Anzeige erfordert, wieviel ausserordentliche Koststellen über die etatmässigen (16 Koststellen à 40 Thlr.) nach der in den Studir- und Schlafsälen vorhandenen Räumlichkeit verliehen werden könnten, da über die Normalzahl der Alumnenstellen noch mehre derartige Gesuche vorlägen. Bei dem Umfange und der Grösse des hiesigen Schulgebäudes konnte von der Inspection ohne Bedenken angezeigt werden, dass unbeschadet der räumlichen Ordnung und Bequemlichkeit noch 12 Schüler untergebracht werden könnten, wenn in dem 1. und 4. Studirsaal, in jedem 1. Studirtisch für 6 Personen nebst allem Zubehör, und in jedem der 2 Schlafsäle 6 eiserne Bettgestelle mehr als bisher aufgestellt würden, sowie dass auch in dem nur für 12 Tische à 12 Personen eingerichteten Speisesaale der erforderliche Raum für 12 Kostgänger ohne bedeutende Störung der Symmetrie zu gewinnen sei. Das hohe Ministerium genehmigte diesen Vorschlag der Schulinspection, und ermächtigte dieselbe durch hohe Verordnung v. 27. Febr. zur sofortigen Anschaffung der nöthigen Utensilien. Der Betrag des jährlichen Kostgeldes für eine dieser ausserordentlichen Alumnenstellen wurde auf 70 Thlr. festgesetzt.

Den 20. Febr. ward den Lehrern und Schülern das Glück und die Ehre zu Theil, den Herrn Minister des Cultus und öffentlichen Unterrichts, *von Wietersheim* Excellenz, zum ersten Male in ihrer Mitte zu sehen. Se. Excellenz, wiewohl auf einer Durchreise begriffen, geruhten der Anstalt den ganzen Nachmittag zu widmen, die öffentlichen Lectionen in allen Classen zu besuchen, dann der gewöhnlichen Wochensynode unter huldvollen Aeusserungen der Zufriedenheit mit dem doctrinellen und dem disciplinellen Zustand der Schule, die Sie, im Beisein der Lehrer, vor den vorgerufenen Wochenaufsehern auszusprechen die Gnade hatten, von Anfang bis zu Ende beizuwohnen und hierauf den eben im Werke befindlichen Ausbau der Schul- oder Klosterkirche, sowie sämmtliche Localitäten der Anstalt genau in Augenschein zu nehmen. Unter freundlichen, Muth und Vertrauen einflössenden Zusicherungen, unsrer Schule eine ungetheilte Aufmerksamkeit und wohlwollende Fürsorge zu widmen, schieden Sr. Excellenz von uns.

Am 27. Februar wurden unter dem Vorsitze des Herrn Geh. Kirchen- und Schulrathes *Dr. Schulze*, der von dem hohen Cultus-Ministerium nach einer an die Schulinspection erlassenen hohen Verordn. v. 17. Febr. diesmal besonders dazu beauftragt war, die mündliche Maturitätsprüfung mit 4 Alumnen aus Prima abgehalten. Sowie die schriftlichen Prüfungsarbeiten, welche sie zuvor am 1. 2. 3. 5. und 6. *ejusd.* gefertigt hatten, völlig gnügend in Materie und Form ausgefallen waren, so gab auch das mündliche Examen ein sehr erfreuliches Resultat, so dass in der darauf folgenden Conferenz 2 das erste und 2 das zweite Zeugniss wissenschaftlicher Reife unter Zustimmung des Königl. Commissarius ertheilt wurde.

Mit dem 20. März begann das Frühlings-Examen; das vorgeschriebene, unter Zulassung von Fremden stattfindende mündliche Examen wurde den 29. *ejusd.* gehalten. Bei der Versetzung in die Classen wurden Bücher-Prämien zuerkannt A. den Alumnen und Primanern: 1. *Carl Otto Coith* aus Chemnitz; 2. *Woldemar Siegmund Jaspis* aus Grimma. B. den Secundanern: 3. *Carl Heinrich* aus Leipzig; 4. *Ernst Const. Schweinitz* aus Mark-Neukirchen. C. den Tertianern: 5. *Carl Ernst von Süssmilch-Hörnig* aus Dresden; 6. *Heinrich Gottlieb Wagner* aus Frohburg. D. den Quartanern: 7. *Carl Philipp Justus Keitel* aus Leipzig; und 8. *Herrmann Ludolph Friedrich* aus Dankerode. Der Coetus bestand aus 122 Schülern.

Durch ein hohes Ministerial-Rescript vom 27. März d. J. ward, unter Bezugnahme auf die unter dem 11. März erlassene, die Erleichterung der Presse betreffende Verordnung des Ministerii des Innern im Gesetz- und Verordnungsblatt No. 14 S. 20 etc. 1841 dem Rector die Aufsicht und Controle der bei hiesiger Landesschule herauszugebenden Programme und sonstigen Gelegenheitsschriften übertragen und ihm aufgegeben, dem Schulcollegio zu eröffnen, „wie man mit Zuversicht erwarte, dass es bei Herausgabe dieser Schriften insbesondere alle in das Gebiet der Politik übergreifende, der Tendenz der betreffenden Schriften ohnehin fremde Erörterungen vermeiden werde.“ Für den unerwarteten Fall, dass politische Erörterungen in einer dergleichen Schriften eingeflossen und Bedenken erregen sollten, so ward dem Rector anbefohlen, jedenfalls vor Ertheilung der Druckgenehmigung Bericht zu erstatten und die Entschliessung des hohen Ministerii zu erwarten. „So wie man sich auch“, heisst es am Schlusse, „zu Ihrer Umsicht versieht, dass Sie bei Vollziehung des Ihnen ertheilten Auftrags mit der grössten Behutsamkeit verfahren und Alles vermeiden werden, was die Regierung, welcher jeder Missbrauch dieses Befugnisses doppelt unangenehm sein würde, veranlassen müsste, dasselbe wieder zurückzunehmen und strengere Maassregeln eintreten zu lassen!“

Eine bauliche Angelegenheit, die beantragte Versetzung der Schulbibliothek in ein geräumigeres und trockneres Local, die sich durch Verlegung der bisherigen, in dem Schulgebäude befindlichen Sakristei an der Klosterkirche als leicht ausführbar darstellte, führte den 4. April uns den geehrten und erfreulichen Besuch des Herrn Geh. Kirchenrathes *Dr. Hübel* aus Dresden zu, welcher beauftragt war, an Ort und Stelle die Nothwendigkeit des Antrags und die Möglichkeit der Ausführung zu untersuchen.

Die Confirmation von 7 Alumnen wurde diesmal noch in der Frauenkirche durch den Herrn Archidiaconus *M. Feller* vollzogen. Da die Vorbereitung derselben, welche durch den jedesmaligen Religionslehrer geschieht, diesmal durch die im Winter im Alumneum ausgebrochene Masernkrankheit etwas gestört worden war, so ward die Confirmation auf die Pfingstwoche verlegt und geschah erst am 2. Juni mit folgenden Katechumenen: 1. *Wolfgang August Puchta* aus Erlangen; 2. *Carl Julius Reibetantz* aus Glaucha; 3. *Carl*

Julius Theodor Bachmann aus Wermsdorf; 4. *Gustav Oswald Peschek* aus Zittau; 5. *Julius Robert Beyer* aus Zschoken; 6. *Johann August Krasselt* aus Lausigk und 7. *Curt Julius v. Einsiedel* aus Gnandstein. Mit ihnen begingen den Tag darauf, den 3. Juni, Lehrer und Schüler privatim in derselben Kirche das heilige Abendmahl.

Der Unterzeichnete hatte am Schulfeste 1837 den vor 50 Jahren erfolgten Abgang eines ehemaligen Alumnus, des Pastor *Neumann* zu Grossbothen bei Grimma, auf die im Jahresbericht 18$\frac{37}{38}$ S. II. beschriebene Weise gefeiert. Derselbe würdige Jubilar hatte nun durch Gottes Gnade die so seltene Freude erlebt, dass er bei gleicher Munterkeit und Kraft sein Amt ohne Gehülfen verwaltend, am 2. Mai d. J. sein 50jähriges Amtsjubiläum begehen konnte. Das Schulcollegium, welches dem ehrwürdigen, seit so vielen Jahren mit der Landesschule und ihren Lehrern befreundeten Jubilar an dem Feste, das ihm von seinen Amtsgenossen (s. Sächs. Kirchen-Zeitung No. 7. 1842) bereitet wurde, einen schwachen Beweis seiner Aufmerksamkeit und Theilnahme zu geben wünschte, überreichte durch die Schul-Inspection dem heitern Greise zur freudigen Erinnerung an seine im Moldanum rühmlich vollbrachte Schulzeit und an seine Lehrer auf einer besonderen splendid gedruckten Tafel das Zeugniss, welches er beim Abgange von der Schule zur Universität, den 14. Sept. 1787, erhalten hatte. Der Unterzeichnete findet es für diesen Jahresbericht nicht unpassend, dieses von dem damaligen Rector *M. Muecke* abgefasste Zeugniss, theils zur Ehre des Greises, theils für Freunde der Landesschulen zur lehrreichen Vergleichung des Sonst und Jetzt hier wiederzugeben und für die Nachkommen aufzubewahren:

L. B. S.

Non inauditum est in Historia Litteraria nomen Neandrorum et, qui originis Germanicae vestigia retinere maluerunt, Neumannorum, et iustus adeo numerus virorum eruditione clarorum occurrat, qui materiam suppeditare possit, Micrologiae litterariae amantes novo aliquo libello de doctis Neandris exhilarare cupienti. In illis vero iure inter primos locum occupaturus esset Michael Neander, Gymnasii Ilefeldensis Rector celeberrimus et dignus adeo schola Philippi Melanthonis discipulus, ex cuius disciplina praeter Laurentium Rhodomannum quam plurimi prodierunt humaniorum litterarum scientia cultissimi. Lubebat haec praefari, quo tempore Patronis commendandus a nobis erat iuvenis non magis nominis illius omine, quam virtutibus commendabilis,

Georgius Fridericus Neumannus
Grosbothenio-Misnicus.

Integros hic sex annos, per legem scholasticam constitutos, cum laude apud nos exegit. Quanquam in illo doctorum Neumannorum choro videbat esse nonnullos, quorum famam ingenii pauci, quos aequus amaret, aequare possent; tamen honestum esse ratus, prima sequentem, in secundis ac tertiis consistere, pro virium ingenii modulo id agere videri potuit, ut minime indignus Neumanniano nomine aliquando evaderet. Hoc igitur consilio omnes discendi occasiones sibi hic oblatas diligentissime in rem suam convertere atque ingenium humaniorum litterarum studio excolere studuit. In publicis vero lectionibus, quibus vel doctrinae Christianae et philosophiae, una cum Historia, Mathesi et Geographia, initia traduntur, vel cultiorum linguarum Hebraicae, Graecae, Latinae et Franco-Gallicae copiae proponuntur, docilem se atque attentum praebuit. Animi

autem indole ac moribus ita ille nobis probatus fuit, ut neminem sciamus ex omnibus commilitonibus eius, a quo iuvenis nobis merito carissimus, probitate, modestia, amore erga praeceptores ac parentes, obsequio denique legibus scholasticis praestando vinci se superarique sit passus. Nos igitur uti Illum bonis ominibus ac votis ex disciplina nostra nunc dimittendum prosequimur, ita omnes, qui bonis litteris ac moribus favent, maiorem in modum rogamus, ut optimae spei iuvenem sibi commendatissimum habeant.

Scr. in Electorali apud Grimam schola ipsis Nonis Septembr. A. R. P. C. S. CIƆ IƆ CCLXXXVII.

M. Joan. Henricus Muecke, Rector. Joan. Georgius Klotz, Praefectus. M. Henr. Gotthelf Noa Hofmanus, Conrector. M. Henricus Godofredus Reichardus, Collega Tertius. M. Gottlob Iohannes Gotthelf Hochmuth, Cantor. M. Henricus Richter, Mathem.

Am 17. Juni d. J. erwies Se. Königl. Hoheit der Prinz *Johann*, nach erfolgter Revue über hiesige Communalgarde, der Landesschule die Ehre eines Besuches, nahm die Localitäten der Anstalt in Augenschein und erkundigte Sich mit gewohnter Herablassung und Theilnahme nach dem Zustand derselben.

An demselben Tage kam, auf einer Inspectionsreise begriffen, der Herr Geh. Kirchen- und Schulrath *Dr. Schulze* zu uns, verweilte hier einige Tage, besuchte die Lectionen und wohnte Sonnabends der gewöhnlichen Wochensynode bei.

Am 20. Juni fand beim Abendgebet in herkömmlicher Weise die *Karthausische* Gedächtnissfeier statt. Die Interessen des Legates wurden diesmal an folgende Alumnen vertheilt: 1. *August Herrmann Hartlich* aus Chemnitz; 2. *Ernst Herrmann Teufel* aus Schneeberg und 3. *Carl Philipp Justus Keltel* aus Leipzig.

Von *acht* Alumnen der ersten Klasse, welche gegen Michaelis theils vor theils nach Ablauf der gesetzlichen Schulzeit zur Universität abzugehen wünschten, wurden am 25. 26. 28. 29. und 30. Juni die schriftlichen Prüfungsarbeiten gefertigt. Die mündliche Prüfung konnte jedoch wegen Eintritt der Sommerferien erst am 23. Aug. statt finden, die jene Jünglinge so bestanden, dass sie sämmtlich das Zeugniss der Reife erhielten.

Die 3wochigen Sommerferien wurden in diesem Jahre, mit hoher Genehmigung vom 10. Juni, um eine Woche verlängert und dauerten vom 10. Juli bis zum 7. August.

Den 30. August hatte die Landesschule die unerwartete Freude, Sr. Excellenz den Herrn Cultus-Minister *von Wietersheim* wiederum in ihren Mauern zu sehen. Se. Excellenz besuchte mit gewohnter Aufmerksamkeit die an diesem Tage stattfindenden Lectionen, nahm sodann die noch im Bau befindliche Klosterkirche in Augenschein und besichtigte darauf den Spielplan der Alumnen, wo sich ein Uferbau an der Mulde als durchaus nothwendig herausstellte, und schied zur Freude der Lehrer und Schüler mit der Erklärung, dass zur Erweiterung und Ausdehnung des Spielplans an der Mulde noch ein Theil von den Uferwiesen käuflich gewonnen und eingerichtet werden sollte.

I. b. Chronik der Landesschule vom September 1841—1842.

Die Feier des Stiftungsfestes, den 14. Sept. 1841, welche mit geringen Abweichungen von der herkömmlichen Weise begangen wurde, kündigte, hoher Verordnung gemäss, diesmal statt des Rectors, der noch auf Urlaub abwesend war, zugleich der 6. *Prof. M. Lorenz*, Verfasser der als Schulprogramm ausgegebenen Abhandlung: *de Dictatoribus Latinis et Municipalibus Part. I.* p. 43. an. Die an diesem Festtage stiftungsmässig zu vertheilenden Stipendien und Bücher-Prämien erhielten folgende Alumnen: A. die von *Rackel'schen* Stipendien: 1. *Aug. Herrmann Hartlich* aus Chemnitz; 2. *Ernst Herrmann Teufel* aus Schneeberg; 3. *Joh. Heinrich Müller* aus Dewitz; 4. *Carl Louis Wehinger* aus Bischofswerda. B. die Bücher-Prämien: 1. die Primaner: a. *William Adolph Engel* aus Borna; b. *Heinrich August Trübenbach* aus Mittweida; 2. die Secundaner: c. *Carl Theodor Friedrich Schützenmeister* aus Rochlitz; d. *Joh. Friedrich Ernst Feist* aus Muschau bei Leisnig. 3. die Tertianer: e. *Heinrich Gottlieb Wagner* aus Frohburg; f. *Friedrich August Mauckisch* aus Haynichen. 4. die Quartaner: g. *Fedor Gustav Hösler* aus Gera; h. *Julius Robert Beyer* aus Zschocken. C. Die Percipienten der diesjährigen Interessen von dem zu Stipendien angelegten Stiftungsfonds ehemaliger Grimenser waren diesmal 1. *Ernst Oskar Wendel* aus Adorf und 2. *Eduard Gottlob Wigand* aus Geithayn.

Am 25. Sept. d. J. begann das Herbstexamen, worauf dann Sonnabends, den 9. Octbr. die Translocation stattfand; dabei wurden nachstehenden Alumnen Bücher-Prämien zuerkannt: Cl. I.: 1. *Robert Leopold Steinhäusser* aus Planen; 2. *Carl Julius Rössler* aus Crimmitschau. Cl. II.: 3. *Aug. Friedr. Wilhelm Naumann* aus Döbeln; 4. *Gustav Meyer* aus Grimma. Cl. III.: 5. *Friedr. Hugo Naumann* aus Döbeln; 6. *Carl Julius Reibetantz* aus Glauchа; Cl. IV.: 7. *Joh. Paul Uhle* aus Nossen; 8. *Carl Georg Mechler* aus Dresden. Damals betrug die Anzahl sämmtlicher Schüler nur 110. S. Statistik der Landesschule Cap. IV.

Durch hohe Verordn. v. 28. Sept. d. J. erhielt der *Prof. M. Wunder* für die im Auftrage übernommene interimistische Verwaltung der Rectoratsgeschäfte während des Urlaubs des Rectors eine Gratification von 100 Thlrn., worüber sich der Unterz., bei gleichem Dankgefühl, nicht geringer freute als der Empfänger.

Am 11. Octbr. d. J. fand die Gedächtnissfeier des ehemaligen Schul-Inspector *von Rackel* statt.

Am 12. Octbr. d. J. feierten die Lehrer und Schüler der Landesschule das heilige Abendmahl zum letzten Male *privatim* in der Frauenkirche. S. Jahresb. 18$\frac{42}{43}$ p. VIII.

